# MONACHATUS SANCTI RUPERTI FUNDATORIS, ET PRIMI QUONDAM EPISCOPI ET ABBATIS, CATHEDRALIS OLIM...

Vital Pottenhofer, Martin Weissbacher, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Monachatu S. Ruperti

Digitized by Google

Digitized by Google

ad usum P. Virgilii Leopoldinger

# MONACHATUS SANCTI RUPERTI

## FUNDATORIS, ET PRIMI QUONDAM EPISCOPI ET ABBATIS,

Cathedralis olim Monaſterii ad S. Petrum intrà Salisburgum :

# VINDICATUS

*Contrà*

R. D. Martinum Weiſsbacher, Vicarium ad B. Virginem in Alpibus Decanatûs Salfeldenſis.

gLorIa LaVDIs Deo
â DIVIs sanCpetren-
sIbVs IVVAVII.

305 324-L.101

Digitized by Google

# APPROBATIO.

Libellum, cui titulus: MONACHATUS S. RUPERTI &c. VINDICATUS; ab Authore anonymo (mihi tamen bene noto) conſcriptum, legi & relegi, cúmque in illo nihil orthodoxæ fidei contrarium invenerim, ob laudabilem Authoris induſtriam, & inſignem ex hoc opuſculo elucentem Hiſtoriæ notitiam, typis digniſſimum cenſeo. Campidonæ 30. Novembris 1738.

JOAN. BAPT. HUNDTBISS,
L. B. de Waltrambs, Ducal. Eccleſ. Campid. Capitularis, Conſiliarius Eccleſiaſticus, Bibliothecarius, & librorum Cenſor.

PRO-

Digitized by Google

# PROLOQUIUM.

PAucis abhinc diebus in Opus quoddam Hiſtoricum offendi, quod titulum præſeferebat: *Vitæ Sanctorum Petrinorum*: quas in vernacula lingua conſcripſit A. R. D. Weiſsbacher, unus ex Collegio Canonicorum in Seekürchen, & p. t. Vicarius ad B. V. Thaumaturgam in Alpibus: in hoc laborioſo ſuo Opere S. Rupertum, Fundatorem, & primum Juvaviæ Epiſcopum, ac inſimul primum Abbatem Cathedralis olim Monaſterii ad S. Petrum Salisburgi,



Digitized by Google

Clero Sæculari vindicare conatur auſibûs magìs inanibûs, quàm glorioſis. Prima fronte mirari ſubiit, cur R. hic Author, ſive Collector, aut Verſor à primigenio, & germano ſuo candore deflexerit, vi cujus Germanico Petrino Calendario, quod ſub hoc nomine typîs edidit, S. Rupertum Sæcularium Clericorum Albo inſerere non eſt auſus, abs dubio, ut ſic candidæ veritati, quam à multis in ipſo ſuſpici quibusdam ex argumentis obſervabam, magìs conſuleretur. Verùm non ita diu ſuſpenſus hæſi, ſed admirabundum animi ſenſum neſcio quis interpellabat, ſuaviter inſinuando, non tam prælaudati Authoris haud ſatìs præmeditatô partium ſtudiô, quàm malô cujusdam in operoſis Hiſtoriarum experientiis minùs periti Ciniflonis ſuaſu hæc omnia actitata eſſe, quamvìs ſatìs infideliter: facilî quippe negotiô perſpicient, quibus veritas cordi eſt, quósque Hiſtoriarum, & Antiquitatum ſtudium Litteratis plurimùm commendat, rationes, quas in contrarium adfert, nullius eſſe ponderis, quemadmodùm ſtatim in aperto ponam, poſtquàm earundem tenorem prævìè inſpexerimus. Quare ſit

§. I.

## §. I.
## *Proponuntur Objectiones Adverſarii.*

1.

PRoprium Salisburgenſe altum tenet ſilentium de Monachico S. Ruperti Inſtituto.

2. Martyrologium Romanum cum aliis tacet Monachatum S. Ruperti, eúmque ſolùm Epiſcopum, nullatenus autem Abbatem, minùs Monachum vocat.

3. Lapis Sepulchralis, ſive Epitaphium S. Ruperti nullam facit mentionem, quòd fuerit Monachus, ſed abſolutè Epiſcopum nominat.

4. Calendaria Salisb. & Catalogi Antiſtitum Juvavenſium neutiquam memorant, S. Rupertum fuiſſe Monachum, benè autem, quòd fuerit Epiſcopus.

5. Vita S. Ruperti primigenia, quæ in Bibliotheca Cæſarea aſſervatur, nec non Hiſtoria Lombardica, ſeu Aurea Legenda Jacobi de Voragine cum Godefrido Henſchenio S. J. & quibusdam aliis Authoribus nihil referunt, quòd S. Rupertus Monachorum legibus ſe adſtrinxerit.

6. Similiter Reverendiſſimus DD. Amandus Abbas S. Petri Salisb. & Franciſcus Dücker, in ſuis Scriptis non exprimunt Monachatum S. Ruperti. Ergo non fuit Monachus, ſed Petrinus.

7. S. Rupertus præcipuas ſuas Eccleſias, eásque primarias, nempè in Seekürchen, & Sede Juvavenſi Divo Petro conſecravit Ergo non fuit Monachus, ſed Petrinus.

8. Cornelius Curtius, Ord. S. Auguſtini Eremit. in Paneg. S. Ruperti cap. 15. hæc formalia habet. *An verò Monachalem cum aliis vitam Pontifex duxerit, non ſatis liquet, profiteri autem non potuiſſe, manifeſtum eſt ex D. Gregorio L. 4. Regiſtri. & C. niſi cùm pridem. & C. licèt. de Regularibus.*

9. R. P. Hanſizius Tomo 2. German. S. fol. 44. ait: *Neque il-*

 *lud*

Digitized by Google

*lud in confeſſo, Rupertum (eſto, vocetur Abbas, & fuerit) etiam fuiſſe Monachum, conſtat enim Epiſcopos, etiam non Monachos, ſibi præfecturam Monachorum reſervâſſe, quod in Ratisbonenſi Eccleſia factum agnoſcit Mabillonius in Annal. Bened. lib. 21. num. 2.*

10. Neque verba Pontificis Eugenii 3. *S. Rupertum quondam veſtrum Abbatem, & Epiſcopum Salisburgenſem*, plus evincunt, quam traditionem Salisb. cui ſe Pontifex conformavit.

11. Canonicus Kirsgartenſis ait, S. Rupertum fuiſſe de Viris Illuſtribus Ord. ſui, id eſt, Canonicum. Ita, quemadmodùm olim pro Homero Civitates, ſic Ordines pro Ruperto certant, lite nondum perductâ ad liquidum. Hucusque P. Hanſiz.

12. Et licèt idem Author Hanſizius tandem fol. 1001. n. 174. & fol. 1002. n. 177. in favorem Benedictinorum S. Rupertum Benedictinum fuiſſe ſcripſerit, nullum tamen alium Authorem allegavit.

Hæc ſunt fortiſſima illa, ſi Superis placet, argumenta, quæ prænominato Viro optimo perſuaſerunt, S. Rupertum Petrinum, non item Monachum fuiſſe. At ſolida objectionum ſolutio contrarium docebit. Unde ſit

## §. II.
## *Diluuntur Argumenta in Contrarium.*

AD PRIMUM ℞. Abſtrahentium non eſſe mendacium, ut non memorem, quod ex Dialectices Regulis claret, argumenta purè negativa tantam haudquaquam mereri æſtimationem: nunquid enim apud omnes in confeſſo eſt, ex eo, quia aliqua in Proprio Salisburgenſi non referuntur, non benè inferri, quòd ſe ita non habeant: ſic neutiquam valet conſequentia ex hoc antecedente deducta: Proprium Salisburgenſe tacet maximam Sereniſſimorum Bojariæ Ducum in Juvavenſem Sedem munificentiam, Cellam in Pongau in honorem S. Maximiliani, nec non Capellam Oetinganam è Deorum fano DEI Genitrici à S. Ruperto conſecratam eſſe: Ergo hæc omnia nullum ſibi in hiſtorica veritate vendicant locum. Porrò, qui hanc argumentandi formulam deligeret, apud Eruditos, Bavaros præcipuè, qui gratitudinis, & pietatis ergò publicam tantorum Beneficiorum à Sereniſſima Domo Bavarica collatorum memoriam

Digitized by Google

riam expetunt, plus bilem, quàm plauſum moveret, neque foret, cur inepti notam effugeret. Quare hujus loci Criticorum nonnemo, cujus pretioſum Chronicon hiſce temporibûs ſub prælo ſudat, in familiari mecum colloquio futiles id genus rationes ineptias indigitare non formidavit.

Ad Secundum ℞. Argumentum illhoc puſillis, & vix mediocriter in Hiſtoricis verſatis plauſibile videri poſſe, non item viris cordatis, quiſque ſibi per continuam quaſi lectionem eruditionis laudem comparârunt: hi námque in comperto tenent, quomodò Epiſcopis, qui ſimul fuerunt Abbates, & Monachi, ſolus Epiſcopi Titulus non infrequenter dari ſit ſolitus, reticendo nomen Monachi, quin imò etiam Abbatis, quia nimirum hîs omnibûs præſtantior eſt Titulus Epiſcopi, quemadmodùm in caſu, quo quis cujusdam Principis Regnantis Conſiliarius Intimus audit, ob hujus excellentiam ſolo Conſiliarii Intimi Titulô honoratur, etſi ab aliis ſimul Principibus Conſiliariorum ſuorum Eccleſiaſticorum Dignitati adlectus ſit. Ita pariformiter Epiſcopi-Abbates, & Monachi, ob Epiſcopalis Muneris præeminentiam ſolùm Epiſcopi, non item Epiſcopi-Abbates, minùs Monachi appellantur. Sic Martyrologium Romanum 8. Septembris taliter S. Corbiniani memoriam agit: *Friſingæ S. Corbiniani primi ejusdem Civitatis Epiſcopi*, quem tamen ſimul Abbatis, & Monachi Officium maxima cum ſolicitudine expleviſſe invictè propugnat Clariſſ. Friſingenſis Hiſtoriographus Rev. D. P. Carolus Meichlböck in Diſſertione 4. prævià ad Tom. 1. Hiſtoriæ Friſing. S. Corbinianus in vita ſua ex Aribone apud præcitatum Clariſſimum Authorem in Hiſt. Friſing. Tom. 1. part. 2. fol. 14. ſimpliciter Epiſcopus vocatur hîs verbîs: *Ambo pariter poſteà, idem B. Corbinianus Epiſcopus, & Grimoaldus Princeps &c.* qui tamen in vetuſtiſſimo Norimbergenſi Codice inter Viros Illuſtres S. Benedicti expreſsè nominatur Epiſcopus, & Abbas, dum talia de ipſo verba ponit: *S. Corbinianus primus Abbas, & Epiſcopus Friſingenſis.* S. Joannem vita B. Ruperti apud Caniſium Tom. 2. fol. 251. vocat ſimpliciter Juvavenſem Pontificem, quem Antiquiſſimum MS. M. Titulô Epiſcopi Abbatis honorat, dicens fol. 14. & 29. *Joannes Epiſcopus, & Abbas.* Idem eſt de aliis primis Epiſcopis Salisburgenſis Sedis. Non minùs certum tenetur, Arnonem primò quidem Monachum, ac

deinde poſt Gislebertum Abbatem S. Amandi Elnonenſis in Belgio, Diœceſi Tornacenſi, fuiſſe, quam deinde Abbatiam Mabillonio judice per annos etiam complures retinuit: quod tum ferè Abbatibus ad Epiſcopatum aſſumptis in more poſitum erat: idémque prætereà Abbatem Monaſterii Salisburgenſis ſe geſſit, uti teſtes ſunt Catalogi ejusdem Cænobii: inquit Clar. D. Hanſizius fol. 100. Hîs tamen non obſtantibûs ſolo Epiſcopi Titulo decoratus eſt, omiſſo non ſolùm Monachi, verùm etiam Abbatis nomine. Sic in illo Inſtrumento Friſingenſi, in quo refertur de lite, quam habuit Ejo Presbyter, ejúsque Fratres contra Hiltiport, & Egilolff: dicitur, quòd ad hanc controverſiam decidendam invocati ſint Miſſi Domini *Arn Epiſcopus, Keroldus &c.* Unde Chronicon Salisburgenſe apud Baſnage Tom. 3. pag. 2. fol. 478. talia recenſet: *Anno Domini 785. Arno Epiſcopus factus, à Leone Papa pallio honoratur.* Rectè hinc Poëta canit apud Clariſſ. D. P. Mabillonium Tom. 4. Analect. fol. 525. *In qua* (Juvavenſi Sede) *Pontifices multos poſt ritè ſedentes*

*Arn ſucceſſit ovans, Rector ovile regens.*

Et certè Salisburgenſes omnes uno ore fatentur, Arnonem poſt aliquot annos in Cathedra Salisb. atque Abbatis Dignitate exactos, clavum Monaſterii Amilonio Monacho, ac futuro etiam in Archi-Epiſcopatu Succeſſori commiſiſſe; & tamen in Traditionum Juvavenſium Tabulis ſolummodò Epiſcopus, non item Abbas, vel Monachus appellatur hîs verbîs: *De hoc, quod ad Epiſcopatum B. Petri Primi Paſtoris in Eccleſia, Sanctorúmque Apoſtolorum Principis &c. ubi & Domnus Hrodbertus Epiſcopus, atque Confeſſor cum Sociis corpore requieſcit, & inibi traditum fuit, & ubi praeeſt Venerabilis Vir per Divinam miſericordiam, & mercedem Domini noſtri Caroli Excellentiſſimi Regis Arn Epiſcopus:* Ex quibus utique elucet, antiquis in more fuiſſe poſitum, ut Monachos, & Abbates illos, qui Pontificali ſimul fulgebant honore, ſolo Epiſcoporum, vel Archi Epiſcoporum Titulo venerarentur, diſſimulato Monachorum, vel Abbatum nomine. Nec immeritò: nam ſcies utique (neque enim Hiſtoricum talia ignorare condecet) quomodò Monachi Presbyteri non rarò Presbyteri tantùm ſint appellati, Monachi nomine ob Sacerdotii præſtantiam ſuppreſſo: Ita Martyrologium Romanum die 19. Septembris S. Sequanum ſolius Presbyteri Titulo effert dicens:

cens: *In Territorio Lingonienſi, S. Sequani Presbyteri & Confeſſoris.* Adonis econtrà Martyrologium apud nos, ait Mabillonius Sæc. 1. fol. 266. in Notis manu antiqua deſcriptum ita habet: *In Territorio Lingoniæ Civitatis, Monaſterio Segeſtro Depoſitio S. Segoni, alii legunt, S. Sequani, Presbyteri, & Monachi.* Pariter Perno in libro Traditionum Friſing. legitur in ſubſcriptione quandóque ſolum Presbyteri titulum adhibuiſſe, hæc quippe p. 2. Hiſtor. Friſing. fol. 145. legimus: *Ego Presbyter Perno ſcripſi hanc chartulam traditionis*, & nihilominùs Perno ipſe erat unus ex familia Friſingenſi, nimirum Monachus, prout expreſsè ſe nominat in Inſtrumento permutationis inter Attonem Epiſcopum, & Reginpertum Abbatem Mosburgenſem; ſic enim finit iſtud Inſtrumentum: *Actum eſt in præſentia cunctæ familiæ S. Mariæ, ſeu aliorum, qui præſentes adfuerunt, quorum nomina hæc ſunt: inprimìs Oadalhart Epiſc. Sigimorat vocatus Abbas. Perno Presbyter & Monachus.* Friſingenſ. Hiſtor. p. 2. fol. 153.

Plura poſſem talia exempla adducere, niſi domeſtica ſufficerent teſtimonia. Scimus námque, Amandinum, Latinum, Evonem, Baldonem, Reginprecht ſolo Presbyterorum expreſſos fuiſſe Titulo: nam in Arnonis Congeſto, quo nil pretioſius, nil gravius Salisburgum à Bavaria poſſidet, cujúsque Autographum, veluti inæſtimabilis pretii Cimelion in Archivo, ſive Tabulario Monaſterii Sant Petrenſis intra Salisburgum aſſervari ſcimus, taliter ponuntur: *Amandinus Presbyter, Latinus Presbyter. Evo Presbyter, Baldo Presbyter, Reginprecht Presbyter;* qui tamen omnes fuerunt Monachi, prout apertè colligitur ex Arnonis verbis, in eodem pretioſiſſimo Inſtrumento, quæ ita ſonant: *Notitiam verò iſtam Ego Arn cum conſenſu, & licentia Domini Caroli Piiſſimi Regis, eodem anno, quo ipſe Bajoariam Regionem ad opus ſuum recepit, à Viris valdè ſenibus, & veracibus diligentiſſimè exquiſivi à NB. Monachis, & Laicis, & conſcribere ad memoriam feci. Iſta ſunt nomina Monachorum: Vitalis, Amandinus Presbyter, Latinus Presbyter, Cuſſulus, Ziſſimo, Dignotus, Benedictus Diaconus. Sindo Diaconus. Evo Presbyter. Baldo Presbyter. Letzho, Kaënheri, Reginprecht Presbyter &c.*

Ita ſimiliter MS. H. ad Annum 1186. ſequentia habet formalia: *Octavo Calendas Octobris Translatio S. Ruperti Epi-*

*ſcopi, quæ facta eſt ab Epiſcopo Virgilio, qui fuit Octavus ab illo, cum quo tranſtulit & duos Presbyteros ejus S. Chunialdum, & Giſilarium.*

Ubi MS. M. cui ob vetuſtiſſimam ſuam antiquitatem (ſiquidem jam ſub tempora Arnonis ſcribi cæptum eſt) maximam venerationem, authoritatem, ac fidem Eruditi omnes ultrò concedunt, quibus illud perluſtrandi facta eſt copia, taliter eorum meminit ſub Rubrica *Monachorum Defunctorum: Giſilarius, & Chunialdus Presbyteri, ac Monachi.* Dum ergo ex ſimili ratione malè quis argumentaretur dicendo: SS. Giſilarius, & Chunialdus nominantur tantùm Presbyteri: ergo non fuerunt Monachi: pejor certè fit argumentatio: S. Rupertus vocatur ſimpliciter Epiſcopus: Ergo non fuit Abbas, & Monachus.

Ad Tertium ℟. In ſepulchralibus Inſcriptionibus Epiſcoporum Abbatum plerumque ſolùm Epiſcopi, non item Abbatis, minùs Monachi Titulum exprimi. *Paſſim omnes*, ſunt verba Reverendiſſimi, & Clariſſimi DD. Amandi Abbatis in Disquiſitionibus in Vitam S. Vitalis: pag. 29. *Paſſim omnes*, inquit, *qui de S. Vitale ſcribunt, Abbatem & Monachum nominant:* clariùs adhuc proloquitur Mezgerus, dum in Hiſtor. Salisburg. fol. 166. talia indubius pronunciat verba: *S. Vitalem Monachum extitiſſe, nemo dubitavit.*

Et meritò quidem: quis námque, niſi malevolum contra San-Petrenſes foveat animum, ſimulare audet, quaſi ignoraret, Cathedrale olim S. Petri Monaſterium à S. Ruperto ſub Monachicis fundatum fuiſſe legibus, id, quod ad oculum claret ex vetuſtiſſimo, & nunquam ſatis æſtimando Arnonis Congeſto, ex pretioſiſſimo M. S. M. ex Bulla Eugenii Papæ, ex litteris B. Conradi I. aliorúmque Archi-Epiſcoporum, & Canonicorum, ex indubia graviſſimorum Authorum ſententia, quos omnes longa ſerie hic recitare ſupervacaneum eſſe docet rei certitudo. Quoniam ergo convocatis ad ſe S. Petri Monachis, ſuis Diſcipulis, Succeſſorem in Præſulis, & Abbatis munere S. Rupertus deſignavit Vitalem, juxta id, quod legimus in productione miraculorum S. Vitalis, quæ apud Caniſium Tom. 6. extat, ubi expreſsè dicitur, quòd *S. Rupertus inter plures ſuæ* (Monachico-Sant-Petrenſis) *Congregationis perfectos, ſingulariter B. Vitalem ſibi ſtatuit Succeſſorem:* Ita Yepeſius apud C. D. Hanſizium. *Ex quibus proinde patet*, inquit Reverendiſſimus DD. Amandus Ab-

Digitized by Google

Abbas S. Petri, *nullum eſſe dubium, S. Vitalem fuiſſe Monachum Ord. S. Benedicti in noſtro Monaſterio profeſſum, antequàm ad Abbatiam, & Epiſcopatum à S. Ruperto fuerit promotus, ut adeò ampliori probatione non indigeat.* Disquiſitiones S. Vitalis. pag. 29.

Et tamen in Epitaphio, ac lapide ſepulchrali tantùm vocatur Epiſcopus. Poſtquàm enim Reverendiſſimus DD. Abbas Aram S. Andreæ renovare decreviſſet, obſtantem operi lapidem ſepulchralem cum venia Celſiſſimi DD. Ordinarii locô movit, ſaxum etiam pavimentale ſuſtulit, infra quod apparuit planum cæmentitium, in quo notati characteres vetuſti gypsô formati, quos oleô delibutos legere erat in hæc verba

S C S   Vi
Talis Epiſcopus
Et alii
Tres.

Clar. D. P. Mezger in Hiſt. Salisb. fol. 1069. Monumento S. Arnonis hæc appoſita eſt epigraphe: *Anno Domini octingenteſimo vigeſimo primo. 9. Calendas Februarii Reverendiſſimus Pater, & Dominus Arnon primus Eccleſia Salisburgenſis Archi-Epiſcopus obiit: qui ſanctiſſimus ſuo in tempore meruit appellari.* Quis autem ignorat, Arnonem non tam Abbatem, quàm Monachum egiſſe? Et quoniam cum Salisburgenſi aliquo adverſario amica mihi intercedat diſceptatio, admonere liceat, ut ſe reflectat ad potiſſimum fundamentum, ob quod Salisburgenſes ex Juvavenſium Antiſtitum ſerie B. Amilonium Abbatem, & Monachum nullo modo expungi patiuntur, eſſe inſcriptionem, quæ in apertione ſepulchri ipſius lapidi inciſa reperta fuit, in qua abſolutè Archi-Epiſcopus nominatur in hunc modum.

*Oſſa Amilonii Archi-Epiſcopi.*

Errant proinde, quotquot fortè in Antiquitatibus, & Eruditionibus leviter tincti aliquos Abbates, & Monachos fuiſſe negare audent, ex hoc levidenſi principio, quòd ſepulchrales Inſcriptiones ipſos tantummodò Epiſcopos, non item Abbates, minùs Monachos fuiſſe dicant.

Ad Quartum ℞. Id fieri ex his ipſis rationibus, quas hactenùs propoſui: qua de cauſa Clariſſimi PP. Mezgeri permoti ſunt, ut in ſerie & ſucceſſione Epiſcoporum, & Archi-Epiſcoporum Salisburgenſium SS. Rupertum, & Vitalem, Anſologum, Savolum, Ezzium &c. ſub Titulo ſolùm Epiſcoporum, non item Abbatum San-Petrenſium expreſſerint, quamvis præme-

memorati Authores in Catalogo Abbatum S. Petri in eadem Saliſb. Hiſtoria fol. 1166. omninò ſolicitè tam Abbates, quàm Epiſcopos expreſsè deſignent in hunc modum: *S. Rupertus fit Epiſcopus, & Abbas S. Petri S. Vitalis fit Epiſcopus, & Abbas. S. Anſologus fit Epiſcopus, & Abbas &c.* ut non dicam, quomodò aliquos invenire ſit, qui perperam exiſtimant, ſplendori ſuo præjudicium aliquod cauſari, ſi pro veritatis candore ingenuè faterentur, ſe, ſuáque omnia ab Apoſtolicis Monachorum, præſertim Benedictinorum laboribus deſcendere. Verùm, ùt dixi, ſiniſtra hæc eſt opinio. Poſtquàm enim Clariſſ. D. Hanſizius Hiſtoriographus ſuô ævô longè Celeberrimus, & Clariſſimus SS. Theologiæ Doctor pro innato candore (neſcit quippe adulari partibus, ut rectiſſimè illum Trino perfecto Mezgerorum aſſociare, atque de omnibus his Viris de Republica litteraria tantoperè meritis cum Eruditi Orbis Oraculo Mabillonio Tom. 4. Analect. pag. 66. exclamare valeam: quòd ſint animæ, quales neque terra candidiores tulit) Poſtquàm ergo tantus Vir, qui non uno in loco ſuæ hiſtoriæ proteſtatur dicens, ſe unicè veritati ſcribere, Benedictinum S. Ruperti Monachatum fortiter aſſeruiſſet, tandem fol. 1002. concludit: *Ita me herclè detur locus ingenua Veritati: Neque pudere debet poſteros, Eccleſiarum Natales ad Monaſteria veluti cunas referre: cùm totum hoc Eccleſiæ nobiliſſimum corpus originem poſtremò ſuam non aliunde repetat, quàm à plebejo piſcatorum Collegio.*

Fuit certè tempus, cùm vita Monaſtica tanto eſſet in pretio, ſummis etiam viris, ut verecundia non eſſet, Purpuram saccô cænobiticô permutare, ac velut homines quosdam Divinos, cælóque lapſos vererentur, rati, non alibi meliùs eſſe collocatas poteſtates ſacras, aut animarum depoſitum, quàm in Cænobiis. Si porrò conſiderentur Ordinis Benedictini in univerſam Eccleſiam Catholicam, & ſingulas fermè Eccleſias, præſertim Germaniæ, ſumma merita, eò minùs erubeſcendi ratio eſt. Illa, ut teſtimoniis extraneorum comprobentur, eruditiſſimi ex Societate JEſu viri deprædicant. Bollandus Tom. 1. Jan. pag. 368. affirmat, vix ullam eſſe Nationem barbaram, quæ non fuerit aut converſa per ſolicitudinem & laborem Monachorum, aut in fide confirmata per fundationem Monaſteriorum, quæ primi terræ illius NB. Apoſtoli ibi conſtruxerunt, ut eſſent veluti ſeminaria,

ria, unde poſſent deſumi Magiſtri ſalutaris doctrinæ &c. Item Chriſtophorus Browerus, *& verò (* inquit *) hujus Ordinis, id eſt, Benedictinæ Familiæ, quis neſcit laudem hanc eſſe propriam, ut ambiat meritis, & rectè factorum gloriâ, quàm latè patet, orbem Chriſtianum? Etenim ut palmas taceam, & adoreas in reliquo Occidente partas, certè innumeras abſtulit ex hac Germania noſtra magna, cujus infera, ſupera Regionibus, tot retrò ſæculis, hæc unica ferè dedit ſcientiæ, veræq; Pietatis Doctores, Duces, Magiſtros: unica, inquam, Boreæ Populis citimis, extimis, in magna errorum nocte, prætulit veri, honeſtique facem. Scilicet hæc virtutis arduâ viâ, & non mortali doctrinarum curriculô, communem mortalium menſuram ſupergreſſa, pondera tot NB. Cathedrarum ingentia ſuorum humeris, velut Atlas cælum ſuſtulit, excelſoque loco in Republica Chriſtiana, non populis duntaxat, & urbibus, ſed Principibus terrarum Dominis benè, beatéque vivendi leges, & præcepta dedit.*

Ad Quintum ℞. Contra hanc objectionem pugnare cum proportione eadem, quæ de ſilentio Proprii Salisburgenſis in medium adduximus. Sed ſatis, ſupérque. Neque enim conveniens eſt, ſimilibûs argumentis ex ſilentio quorundam Authorum, vel Legendarum, uti vocant, deſumptis diutiùs immorari: ſiquidem jam pridem ad hujusmodi objectiones doctiſſimè reſpondit R. P. Thomaſus Ord. S. Franciſci RR. FF. Minorum Recollectorum in ſuo Tractatu Theologico Salisburgi propugnato, dicens: argumentum eſſe prorſus debile, quod & initiales Logiſtæ, qui vix Dialectices limina ſalutârunt, explodunt, utpotè ductum ab authoritate negativa. Præterea haudquaquam exiſtimo, Antagoniſtam latere communes Criticæ artis Regulas, nempè Scriptoribus etiam coævis prævalere, atque præcellere Bullas, Litteras, & Inſtrumenta publica, tantâ equidem præcellentiâ, ut ſi quando in coævis quoque Authoribus aliqua recenſerentur contraria iis, quæ in Authentica quadam Bulla, Litteris, vel Inſtrumentis publicis continerentur, hæc nihilominùs illis etiam coævis Scriptoribus præferri deberent, ita, ut nullatenùs Bullæ, Litteræ, vel Inſtrumenta publica, ſed illi Authores, contemporanei quoque, erroris arguerentur, & jure merito quidem, ſiquidem errata non levia Authoribus etiam æqualibus ſubrepunt ali-

quando : qualia duo commiſit S. Eulogius judice Morale in conſignando Martyrii tempore Nunilonis, & Alodiæ Virginum; tametſi earum æqualis, & conterraneus erat: & ut ex profanis exemplum deſumam, Cornelius Nepos, rerum memoriæ non indiligens, Marci Ciceronis maximè amicus, familiarìſque, in primo librorum, quos de vita ipſius compoſuit, erràſſe videtur, A. Gellio ſcribens, tres, & viginti annos natum primam cauſam judicii publici egiſſe, Sextúmque Roſcium parricidii reum defendiſſe. Nam 26. annos tum ei tribuendos A. Gellius probat, quando cauſam privatam pro Quintio dixit, ita, ut Sextum Roſcium reum parricidii annos jam ſeptem, & viginti natus defenderit. Lib. 15. c. 28. Sæpè proinde errant Scriptores etiam coævi, quæ omnia emendantur, & præcaventur, inquit Leibni tius, Actìs, & Inſtrumentìs publi cìs, quæ inter præcipuum poſſident locum Diplomata cum Bullis, ubi tamen authentica ſunt, neque evidenter alicujus erroris convincuntur. Si Hiſtoricorum, & Titulorum teſtimonia inquit Hickeſius, tempori, vel loco datæ chartæ contradicant ( idem de aliis contradictionibus teneas ) illorum tamen authoritas non eſt præferenda, quantumvis ſint authentici, & æquales : quippe quòd errata non levia Authoribus aliquando ſubrepant : Nunquid enim, quærit Mabillonius in pretioſiſſimo ſuo Opere Diplomatico fol. 242. in aſſignando Unctionis die Ludovici ( tempore Mabillonii ) regnantis, numiſmatum hac de re cuſorum fidem, & auctoritatem quis præferret quibusvis aliis monumentis? Et tamen 4. aut 5. diebûs poſterior ( ac numiſmatum inſcriptio deſignabat) fuit regia coronatio, ùt omnibus notum eſt. Hiſtoriarum itáque ſcriptores variìs modìs in errorem labuntur ipſi, & alios ſecum pariter ſic trahunt, quæ omnia ſolìs Actìs publicìs, & veteribûs chartìs emendari poſſunt, & caveri, eò præcipuè, ~~ait Leibnitius~~, quòd certiſſima Hiſtoriæ fundamenta ſint. Hinc jam nata eſt conſuetudo, inquit eruditione, & doctrinâ celeberrimus D. Ruinart in Præfat. ad Opus Diplomaticum Mabillonii, ut, ſi quis modò Hiſtorias, maximè Monaſteriorum, & Eccleſiarum ſcribere aggrediatur, neceſſe ſit, ſi modò ſibi haberi fidem velit, ut Acta vetera, & chartas authenticas ad calcem libri repræſentet, quæ monumenta meritò probationum titulô decorantur, quòd abſque illis eorum, quæ narrantur, fides videatur vacil-

vacillare. Bullæ igitur, Diplomata, Litteræ, atque Inſtrumenta publica, quæ Monachico-Benedictinum S. Ruperti Inſtitutum non obſcurè inſinuant, præferri debent authoribus etiam contemporaneis, & apertè contrarium aſſerentibus, ſi qui forent. Dixi, *ſi qui forent*, quoniam nullus hucusque Authorum (ſi Curtium ignobilem, & recentiorem Scriptorem excipiam) qui ſibi per erudita ſcripta famam conciliaverat, Monachico-Benedictinam S. Ruperti Normam expreſſis verbis negare auſus eſt, ſed unus vel alter tantùm ſubdubitat, alii ſolummodò tacent. An itâque ſilentium, vel ſubdubium horum Authorum contra torrentem Benedictinorum, aliósque exteros, eósque graviſſimos Authores, contra antiquiſſimam traditionem, contra vetuſtiſſima, atque pretioſiſſima M. SS. plus fidem mereatur, quàm Bullæ, Diplomata, Litteræ, atque Inſtrumenta publica, quæ S. Rupertum, uti poſteà videbimus, Benedictinis adnumerant Abbatibus, ac Monachis? Ne minimè quidem, ob rationes per decurſum allatas, earúmque in ſubſequentibus confirmationem.

Ad Sextum ℞. Reverendiſſimum DD. Amandum Abbatem cum Perilluſtri D. Dückero contra Sant-Petrenſes non benè allegari, ita enim æquitatis regulæ prohibent. Conſtat quippe, qualia præmemoratus Reverendiſſimus DD. Præſul ſuis Disquiſitionibus de S. Vitale formalia inſeruerit, quæ ita ſonant: *Et planè noſtri Ordinis fuiſſe* (S. Rupertum) *vel hoc ſit indicium, quòd 4. Monaſteria noſtri Ordinis fundaverit, Weltenburg. S. Maximiliani in Pongeu, Nunbergenſe, & S. Petri. Nolo addere plura, etſi poſſem, cùm hanc hic controverſiam disquirere non ſit hujus loci, quam tam antiqua authoritate probatam in dubium vocari poſſe vix arbitror. Disq. 1. c. 5.* Eſt etiam penes nos libellus manuſcriptus, in quo idem Reverendiſſimus Amandus S. Rupertum noſtrum inter tutelares ex Ordine D. Benedicti Patronos expreſsè recenſet, ut planè non videam, qua ratione aut negantibus, aut etiam de Monachatu S. Ruperti dubitantibus valeat accenſeri. Perilluſtris D. Dückerus autem S. Rupertum expreſsè dicit Epiſcopum, & Abbatem egiſſe: ergo per conſequentiam eundem Monachum fuiſſet cenſet. Prioribus enim, ne dicam priſcis temporibus firmiſſimè Scriptoribus perſuaſum fuit, Monachico cætui nullum alium ſub munere Abbatis præfuiſſe in his oris, niſi

Monachum; & rectiſſimè quidem, quemadmodùm infrà videbimus.

Ad Septimum ℞. Hanc objectiunculam me ſemper refutatione indigniſſimam habuiſſe: quare utique parcent Hiſtorices periti, quòd ad viliſſimas hujusmodi quisquilias reſpondere non dedigner, quamvis & hoc ipſum nonniſi coactus quaſi, & rubore ſuffuſus faciam, dicendo, ex Hiſtoricorum claſſe expungendum eſſe, qui tantilla, leviſſima objicere non verecundatur. Quaſi verò ſemper talis vitæ conditionis quis foret, quale Inſtitutum Sanctus tenuit, cui ſpecialiori præ cæteris cura, & devotione addictus eſt. An fortè ignoras, S. Aidanum Epiſcopum nullo modo Petrinum, ſed Benedictinum fuiſſe (ut ſatis patet ex S. Beda hiſtoriæ gentis Anglorum l. 3.) non obſtante, quòd Cathedralem ſuam Lindisfarnenſem Eccleſiam S. Petro Apoſtolo ſacram eſſe voluerit? Plurima ſuppeterent hujus rei exempla maniſeſtiſſima, ſed non eſt opus, objectioni vaniſſimæ immorari. Urgent profectò cauſæ, eæque maximè præcipuæ, cur Benedictini, præſertim illi, qui variarum nationum ob earundem converſionem à ſe factam Apoſtoli audiunt, S. Petrum Apoſtolum ſingulari cultu proſequantur; Nunquid enim Apoſtolorum Princeps Sanctiſſimum Patriarcham Benedictinæ Familiæ Fratris ſui titulô honoravit? Dum quidam Peregrini, orationis gratiâ ad B. Benedictum venirent, obvius illis quidam Canonicus factus eſt, quem, quis eſſet, interrogantes, Petrum Apoſtolum ſe eſſe reſpondit. Et illi: quo tendis? Et S. Apoſtolus: Vado ad Fratrem meum Benedictum, ut cum illo Paſſionis meæ diem celebrem: Bolland. apud Exim. D. Pat. Khamm. in Prodromo partis 3. Regularis. pag. 403.

Ad Octavum ℞. Tam ignobilem Scriptorem, qualis eſt prænominatus Curtius, me ne minimùm quidem morari: quando námque præcitatos textus diſſimulata eorundem explicatione, contra Monachatum S. Ruperti adducere non dubitavit, apertè prodidit vel inſcitiam ſuam, vel animum Sant-Petrenſibus minùs addictum: totum ſiquidem librum 4. Regiſtri Epiſtolarum S. Gregorii volvi, & revolvi, ſed nulla alia occurrebant verba, quæ Monachico S. Ruperti Inſtituto ſpecietenus ſaltem obſtare videbantur, quàm illa, quæ in Epiſtola 1. in editione Pariſienſi de anno 1586. Pag. 715. legebam, súntque inſerta Decreto Cauſâ 16. Q. 1. c. *nemo.* & ita ſonant:

*Nemo*

*Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire, & in Monachica regula ordinatè perſiſtere: ut ipſe Monaſterii diſtrictionem teneat, qui quotidie in miniſterio eccleſiaſtico cogitur permanere.* Ut verò S. Pontificis mens clariùs perſpiciatur, quæ in eadem epiſtola præcedunt, & habentur Causâ 18. q. 2. c. *Pervenit.* 26. huc apponenda cenſui, dicit ergo: *Pervenit ad me, quòd in Eccleſia Fraternitatis tuæ aliqua loca dudum Monaſteriis conſecrata nunc habitacula aut Clericorum, aut Laicorum facta ſunt: dúmque hi, qui ſunt in Eccleſiis, fingunt ſe religiosè vivere, Monaſteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monaſteria deſtruuntur. Nemo enim poteſt &c.* ùt ſuprà, ſubſequitur. *Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet: quia ego nullo modo patior, ut ſacra loca per Clericorum ambitum deſtruantur.* Hæc autem quis jam non videat, quàm vel inſulsè, vel etiam malignè contra S. Ruperti Monachatum detorqueantur? cùm, ùt gloſſa ad cit. c. *nemo.* ſubnotat, d. c. non intelligatur de Monachis, ſed de Clericis ſæcularibus, qui volebant præeſſe Monaſteriis, ſed nec habitu recipere, nec priores Eccleſias volebant relinquere. Non melioris notæ, & eadem reſponſione digna ſunt, quæ non quidem ex 4. ſed ex 3. libro Regiſtri Epiſtolâ 11. ejusdem Pariſienſis editionis fol. 695. objici poſſent, quæque recitat Gratianus causâ 16. q. 1. c. 38. in hunc modum: *Presbyteros, Diaconos, caterósque Clericos, qui Eccleſiis quoquo modo militant, Abbates per Monaſteria eſſe non præmittas: ſed aut admiſſâ Clericatûs militiâ Monaſticis non provehantur ordinibus, aut ſi in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi, cùm unum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis non poſſit explere, ad utrumque judicetur idoneus: ſicque invicem & Eccleſiaſticus Ordo vitæ Monachicæ, & Eccleſiaſticis utilitatibûs Regula Monachatûs impediatur.* Nónne enim pariter ibidem hujus loci expoſitionem expreſſam cernimus, quando aſſeritur, hîs aliisve ſimilibûs verbîs nihil aliud præcipi, quàm ut titulus Abbatis, & cura Monaſterii non deferatur *Clerico extraneo*, qui *ſæcularis Eccleſiæ* titulum habeat, nec *Monachus* ſit: & ſi quidem talis Clericus relictâ Eccleſiâ, cui ſerviebat, jam factus ſit Abbas, ut optione facta, aut Abbatiale munus dimittat, ſi Eccleſiæ ſuæ Titulo

rulo renuntiare nolit, aut Eccleſiæ ſuæ curam deſerat, ſi in Abbatis officio permanere decreverit. Hîs proinde verbîs ſolùm prohibetur, ne quis Clericus (ſæcularis) poſtquàm Abbas & Monachus factus eſt, pro ſuo arbitrio ad ſuam (ſæcularem) Eccleſiam reverti, vel alterius (ſæcularis) Eccleſiæ curam ſuſcipere poſſit, niſi Epiſcopus id approbâſſet: *ſi quis* (ſunt verba Gregorii lib. 1. Epiſt. capite 40. T. 2. Operum ejusdem: *à Clericatu in Monachicam converſionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem, vel aliam Eccleſiam, quarum pridem milites fuerant, ſua voluntate denuò remeare, niſi talis vita Monachus fuerit. ut Epiſcopus, cui anteà militaverat, ſacerdotiô dignum prævideritt, ut ab eo debeat eligi, & in loco, quo judicaverit, ordinari.* Econtra non prohibetur, ne quis Clericus, præſertim Epiſcopus, dum factus eſt Abbas, & Monachus, adhuc poſſit providere Eccleſiam ſuam, Cathedralem præcipuè, quam anteà providit, ſi illa ſit Regularis, in ipſo Monaſterio, cujus eſt Abbas, & Monachus, erecta, eiúsque Monaſterii juribus coñexa. Hoc quippe claret in S. Wulſſino, qui, cùm ex Abbate Weſtmonaſterienſi ad Epiſcopatum Schireburnenſem promotus eſſet, in eadem ſede Clericîs ejectîs Monachos inſtituit, quorum Wulſſinus etiam in Epiſcopali dignitate Abbatem Regularem, & Monachum ſic egit, ut ſimul adhuc (ſicut ante inſtitutam, & ſuſceptam iſthanc Abbatiam fecerat) Epiſcopalem ſuam Eccleſiam zeloſiſſimè provideret. Quòd enim ſemper eandem Schireburnenſem Cathedralem Eccleſiam ad mortem usque fideliſſimè providerit, nullus eſt, qui dubitat, cùm ad mortem usque ejusdem Cathedralis Eccleſiæ Sponſus permanſerit, cujus eſt, Sponſæ ſuæ, Eccleſiæ curam gerere. Quòd autem ejusdem ſimul Schireburnenſis à ſe inſtituti Monaſterii Abbatem Regularem, & Monachum egerit, apud Mabillon. ſæculo Bened. 5. f. 239. ſequentibûs nos erudit Wilhelmus Malmesburnienſis, inquiens: *Qui* (Wulſſinus) *confeſtim in Sede Epiſcopali Monachos, Clericîs ejectîs, inſtituit, ne in tanta contemporaneorum Epiſcoporum ſedulitate dormitare videretur: Abbatem quoque inſtituere cogitavit, illis verò reclamantibus, quòd ejus dulci dominatione, dum viverent, carere nequirent, ceſſit invitus.* Ipſemet itaque S. Wulſſinus Epiſcopus, Schireburnenſis Monaſterii ſimul Abbatem egit Regularem, ac Monachum, atque etiam poſt

hanc

hanc à ſe inſtitutam, & ſuſceptam Abbatiam, Cathedralem ſuam Schireburnenſem Eccleſiam adhuc providit, ſicuti anteà fecerat. Quia hanc nempè Regularem fecit, eàmque pro Monachis, quibus ipſe ceu Regularis Abbas, & Monachus præerat, in ipſo Monaſterio ſtatuit, & Monaſterii juribus connexa eſſe voluit, ſive ut paucîs me expediam, quia in ipſa Cathedrali Eccleſia Schireburnenſi *Monachos Clericîs ejectîs inſtituit*. Eodem igitur, quin imò potiori jure dicere poſſumus, quòd S. Rupertus, etiam dum factus eſt Abbas, & Monachus S. Petri, non ceſsârit Cathedralem Salisburgenſem providere, cùm hanc à prima ſua origine fecerit Regularem, eàmque pro Monachis, quibus ipſe ad S. Petrum ſub munere Abbatis Regularis, & Monachi præfuit, in ipſo Sant-Petrenſi Monaſterio erexerat, ejúsque Monaſterii juribus connexam eſſe voluit, quemadmodùm infrà ad evidentiam videbimus.

Deinde per allegatum textum prohibetur, ne quis Clericus conſtituatur Abbas, *qui nec ſit Monachus*, qui Monachicam non emittat profeſſionem, ſed velit adhuc more Clericorum ſæcularium, taliúmque à Religioſis Votis liberorum Epiſcoporum vitam ducere. Et meritò quidem. Quomodò enim talis Abbas, qui S. Regulam non obſervat, ejusdem perfectionem ſibi ſubjectos plùs operibûs, quàm verbîs docebit, quod primarium munus Abbatis eſt, juxta illud S. Regulæ c. 2. *Cùm aliquis ſuſcepit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ ſuis praeſſe Diſcipulis, id eſt, omnia bona, & ſancta factîs NB. ampliùs, quàm verbîs oſtendere.* Rectè hinc S. Gregorius inhibuit, ne aliquis Clericus in Abbatem eligeretur, qui non vellet fieri Monachus: rationem expreſſit, quia non ita Monachicam Diſciplinam zelant, quin potiùs honores, dignitates, & redditus Monaſterii ambiant: *Dum* ergo *hi, qui ſunt in Eccleſiis*, ſcripſit Joanni Ravennati Archi-Epiſcopo, *fingunt ſe religiosè vivere, Monaſteriis praponi appetunt, & per eorum vitam Monaſteria deſtruuntur. Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet, quia ego nullo modo patior, loca ſacra, ut per Clericorum ambitum deſtruantur.* L. 4. Epiſt. S. Gregorii. c. 45. Tomo 2. operum omnium Ejusdem S. Gregorii. fol. & col. 715. Idcirco Pontificiæ Sanctitatis Authoritas nobis non obſcurè favet in ruinam ſententiæ adverſantis: ſic etenim argumentari juvat: S. Gregorius nul-

nullum Clericum, ſive Epiſcopum permiſit eſſe Abbatem, niſi Monachicam emitteret profeſſionem: quoniam ergo S. Rupertus, quem Salisburgenſes omnes Divo Gregorio coævum faciunt, Sant-Petrenſis ſui Cathedralis Monaſterii Abbas fuit, ſequitur planè per legitimam conſequentiam, quòd ad mentem, & normam Gregoriani Oraculi inſimul Monachus fuerit. Quod & alia domeſtica nobis exempla ſatis confirmant. Nam edic mihi, ſi potes, aut lubet, an S. Vitalem, S. Virgilium, S. Arnonem, S. Thiemonem (quos quidem ſanctis tuis Petrinis, ùt video, non adnumeras) ocyùs è Benedictinorum cenſu cenſeas eliminandos, eò quòd Epiſcopatui Salisburgenſi non ſine ſumma ſanctimoniæ laude præfuerint? ſi tanta Epiſcopatum inter, & Abbatialem dignitatẽ repugnantia, ut vel ideò certum ſit, S. Rupertum, quia Epiſcopus fuit, profiteri Monachatum non potuiſſe, qui contingere potuit, ut tot ejusdem Bmi Eccleſiæ Salisburgenſis Fundatoris Succeſſores, Benedictinæ ſectatores Regulæ, Abbatiali non minùs, quàm Epiſcopali præfulſerint dignitate? Sed adeò hæc clara in luce poſita arbitror, ut immorari huic disquiſitioni diutiùs minimè libeat: unum ſolummodò Gratianum audiamus d. causâ 16. q. 1. c. 39. inter alia ita differentem: *Item illud Hieronymi ad Riparium Presbyterum: Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium &c. non ita generaliter intelligendum eſt, ut nulli Monachorum liceat docendi officium aſſumere: ne beatum Gregorium, aut Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, beatum quoque Martinum, NB. innumeros etiam, quos de Monachica converſatione ad ſummum Sacerdotii gradum ſcriptura teſtatur eſſe promotos, cogamur negare, officium docendi habuiſſe, aut in die conſecrationis ſuæ aſſeramus, eos à priori propoſito diſceſſiſſe, quod (ùt Innocentius teſtatur) nulli facere licet &c.* Paulò ab his diverſa ſunt, quæ c. *niſi cùm pridem.* de renuntiatione, & c. *licèt.* de Regularibus &c. habentur: prohibet enim utroque in loco Innocentius III. ne Epiſcopus officio ſuo renuntiet vitæ regularis, & ſolitariæ deſideriô, quia, ùt cit. c. *licèt.* loquitur Pontifex, *illa ſemper regula inviolabiliter eſt obſervanda, ut nullus absque licentia Romani Pontificis præſumat occaſione quacunque deſerere Præſulatum, quoniam ſicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur. Unde quando poteſt Epiſco-*

Digitized by Google

*Epiſcopus praeſſe pariter, & prodeſſe, non debet cedendi licentiam poſtulare, aut etiam obtinere.* Sed ut taceam leges has, utpotè S. Rupertô multò poſteriores, eundem ſtringere neutiquam potuiſſe, quis non videt, Pontificem loqui de tali ceſſione Præſulatûs, vi cujus omnis ſimul, Monachali ſtatu aſſumpto, ovium commiſſarum cura deponitur, qualem quidem renuntiationem S. Ruperto nullatenùs affingimus, quem conſtat & Monachi, & Abbatis, & Epiſcopi munera ad usque ſupremum vitæ finem ſimul perfectiſſimè explevíſſe. Accedit, quòd, ſi quid ex cit. c. c. ſequeretur, illud ad ſummum inde poſſet evinci, S. Rupertum poſt adeptum Epiſcopatum Monachicam Regulam profiteri non potuiſſe, nil autem prohibet dicere, eundem ante Epiſcopatum jam vitam ſectatum eſſe Monachicam, ut non abſurdè coniicit Mezger, & difertè affirmat Brentanus in epitome chronologica ad annum Chriſti 623. Viros porrò præſtantes non tantùm Benedictini, ſed aliorum quoque ordinum regularium ad Epiſcopatus aſſumi ſolitos, nemo utique eſt, qui dubitet, cùm & hodierno die ſuperſint, qui ex Religioſis ordinibus aſſumpti Eccleſiis Epiſcopalibus ſumma cum laude præſint, aſſertámque veritatem luce meridiana clariùs demonſtrent.

Ad Nonum ℞. Clariſſimum D. Hanſizium per allegata verba neque affirmare, neque negare, S. Rupertum fuiſſe Monachum, ſed determinatum aſſenſum ad utrumque ſuſpenſum tenere, dicendo, non eſſe in confeſſo, ſive, quod idem eſt dicere, non eſſe apertum & certum: quamvis hæc ipſa quoque ſubdubitatio procul omninò repulsâ ſit, poſtquàm rem meliùs examinavit: ex accuratiore námque ponderatione clarè agnovit, Authoritatem, & Exemplum Mabillonii Sant-Petrenſium ſententiæ, quæ Monachicum S. Ruperti Inſtitutum ex Abbatis non tam titulo, quàm actuali officio fortiſſimè defendit, adeò non adverſari, ut quàm plurimùm confirmet.

Sit enim ita, quòd hæc viguerit conſuetudo in Ratisbonenſi Monaſterio, vi cujus Canonici ejusdem Cathedralis Eccleſiæ unà cum Monachis, qui omninò diverſi, atque contradiſtincti à Canonicis fuerant, alternativæ in eadem Sede ſucceſſionis jus habuerint, ita, ut ſi Deceſſor fuiſſet Canonicus, ejus Succeſſor Monachus eſſet. Fuerit ita in Cathedrali Monaſterio Ratisbonenſi, nulla tamen exinde conſequentia deduci poteſt ad Cathedrale S. Petri Monaſterium. Claret

ret quippe ex Authenticis B. Conradi I. hujus nominis Archi-Epiſcopi Salisb. Litteris, quarum formalia hac de re verba paulò infrà proponam, quòd jus ſuccedendi in Juvavenſi Sede ſolùm Sant-Petrenſes poſſederint Monachi, non item aliqui alii Canonici, contradiſtincti ab jisdem Sant-Petrenſibus Monachis. Neque enim Sant-Petrenſes, uti Ratisbonenſes Monachi tunc temporis contradiſtincti fuerant à Canonicis Cathedralibus: nullo modo: ſed qui fuerant Monachi ad S. Petrum, jidem etiam fuerunt Cathedrales Canonici Juvavenſis Sedis, quæ in Monaſterio S. Petri collocata erat. Unde factum eſt, quòd etiam Major illa Baſilica, quam S. Virgilius in honorem S. Ruperti ædificaverat, quámque translatâ è S. Petro Epiſcopali Sede Cathedralem fecerat, Monaſterii nomen adhuc retinuerit, non alia de cauſa, quàm ex hac ipſa, quoniam primis temporibus Sedes in Monaſterio rigorosè tali collocata fuit, primiſque hujus Cathedralis Monaſterii Canonici cum ſuo Fundatore non alii, quàm Monachi erant: certum enim eſt, inquit Gretſerus in ſuis obſervationibus in Commentar. Philippi Eyſtett. Epiſc. de Divis Tutelaribus ejusdem Eccleſiæ l. 1. c. 17. fol. 234. Germanicum nomen Münſter / quo multis in locis Eccleſiæ Cathedrales afficiuntur, à Monaſterio deſcendere, quia primi illi Canonici Monaſticam vitam profitebantur, edocti à primis ſuis Magiſtris, quorum multi Monachi erant. Eadem tradit Gloſſarium M. Latin. in hæc verba: *Monaſterium ſæpè ſumitur pro Eccleſia Cathedrali, quòd plerísque in Eccleſiis Cathedralibus Monachi, non ùt hodie Canonici, olim ſacra munia obirent. Unde uſu ſervato in Germania Cathedrales Eccleſiæ dicuntur* Münſter. Sic ſcimus, poſt Waldonem X. Epiſcopum Friſingenſem Cathedralem Eccleſiam evaſiſſe ſæcularem, & tamen ſub tempora Wolframi XIII. Epiſcopi adhuc vocabatur Monaſterium, ſecundùm illud præcepti, quod Henricus Rex Optimus Wolframo XIII. Friſingenſi Epiſcopo dedit ſequentis tenoris apud Clariſs. D. P. Carolum Meichelböck in Hiſt. Friſing. f. 163. *Noverint omnes Fideles noſtri tam præſtò manentes, quàm etiam futuro tempore ſuccedentes, qualiter nos rogatu Fidelis noſtri, ſcili. Wolframi Friſing. Eccleſiæ Epiſcopi prædium à S. Corbiniano emptum, & à Monaſterio ipſius injuſtè ablatum in jus, proprietatémque præfati Monaſterii per hoc noſtræ Authoritatis præceptum*

re-

*remittimus &c.* Vocabatur itaque Eccleſia Cathedralis Friſingenſis, jam ſæcularis, adhuc Monaſterium, *ex veteri nimirum conſuetudine*, ait prælaudatus vir in Hiſt. Friſing. f. 164. *quia videlicet Friſingenſis Cathedralis Eccleſia veteribûs temporibûs fuit, & dicebatur Monaſterium* (regulare) *& pro ſuis profeſſoribus, atque Canonicis Monachos habuit.* Ita pariter Eccleſia Cathedralis Salisb. quam de novo ſæcularibus Canonicis erexit B. Virgilius, dicta fuit adhuc Monaſterium, quia prima Cathedralis Eccleſia, à S. Ruperto Juvavii in honorem S. Petri fundata, regularis, & Monaſterium propriè tale, ſive Clauſtrum Monachorum fuit, & pro ſuis profeſſoribus atque Canonicis nullos alios, quàm Monachos habuit. Profectò nulli alii magis ſunt Canonici Cathedrales, quàm illi, qui jus habent ſuccedendi in Sede Epiſcopali: atqui penes Sant-Petrenſes Monachos primîs temporibûs jus reſidebat ſuccedendi in Sede Epiſcopali, juxta illud Litterarum B. Conradi I. *Notum igitur eſſe volumus Eccleſiæ noſtræ Filiis præſentibus, & futuris, cùm S. Rodbertus S. Memoriæ Prædeceſſor noſter Civitatem Juvavenſem denuò erigens, Sedem ſuam Epiſcopalem in Monaſterio S. Petri collocâſſet, ac fratribus, quos ibidem ſub Regula S. Benedicti ſibi perpetuos NB. ſucceſſores in eadem Sede Epiſcopali inſtituerat, & curam Parochialem commiſiſſet, & tradidiſſet, quam usque ad præſens fideliter exercuerunt &c.* Et hæc, quæ diximus, adeò veritati concordant, ut ne quidem illi Canonici, quos S. Virgilius omnium primus in translatam Epiſcopalem Sedem invexerat, Canonicorum Cathedralium Juribûs, ſed ſolùm eorundem Titulô gaviſi ſint; niſi quòd divina officia in nova Eccleſia peregerint: ſed Cathedralium Canonicorum Jura etiam tunc Monachis ad S. Petrum ſalva manebant, usque dum ſub Conrado I. Rupertinis Canonicis ceſſerant, ſecundùm illud in Litteris B. Conradi contentum: *Pontificali noſtra Authoritate ſtatuimus, & ordinamus, imprimis, ut ſingulis electionibus pro Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus faciendis, Abbati ejusdem Monaſterii pro tempore exiſtenti, locò fratrum ſuorum (ad quos priùs ſemper electio ejusmodi ſpectabat) intereſſe competat perpetuò, & quem ipſe unà cum Canonicis præfatis ex ipſis vel aliàs elegerint, Archi-Epiſcopus cenſeatur &c.* Priùs ergò ſemper jus Electionis Monachi ad S. Petrum poſſidebant,

bant, donec per Conradum I. in Rupertinos Canonicos transtulerint, ſicque ex Titularibus, aut minùs propriis verè Reales, propriè tales, & conſummatos in ſua dignitate Canonicos Cathedrales effecerint. Quemadmodùm teſtatur B. Eberhardus I. quando Sant-Petrenſibus præcedentiam, quam ſibi in ceſſione Juris Electionis in hujus gratam memoriam præ Canonicis S. Ruperti reſervabant, quámque tum iidem Canonici impetebant, confirmare dignatus eſt ſequentem in modum: *Notum facimus Chriſti Fidelibus, quòd, cùm Canonici S. Ruperti Fratres noſtros dilectos Eccleſiæ S. Petri impetiſſent pro ultimo loco habendo in Proceſſionibus, quem anteà ſemper dicti Fratres habuerunt, movit nos Veneranda antiquitas Eccleſiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & fundamentum fidei multarum provinciarum, à qua reliqua Monaſteria, & Eccleſiæ exordium ſumpſerunt, & omnis NB. honor, & NB. dignitas* (adeóque non ſolum Cathedralis Titulus, verùm etiam poſt ceſſionem Juris Electionis cum jure plebeſano conſummata Cathedralis Eccleſiæ, ejusdémque Canonicorum dignitas) *ad Nos, & noſtram Eccleſiam, quam habemus, ab ea profluxit. Inſuper & Fratres ejusdem Eccleſiæ multas poſſeſſiones, & Jura ad petitionem noſtrorum Anteceſſorum, ut in Litteris noſtris monimentariis reperimus, reſignaverunt in noſtram, & Eccleſiæ noſtræ utilitatem. Hinc meritò eam præ cæteris Eccleſiis quaſi Antiquam Matrem venerari, ac privilegiis tueri debemus. Tractavimus ergo illa cum Canonicis noſtris, & ad memoriam reduximus, & inde ipſis conſentientibus dictos Fratres Eccleſiæ S. Petri iſto Privilegio munivimus, ut in ſignum antiquæ Dignitatis, & ſanctitatis loci, ultimum, & digniorem, quem ſemper antè habuerunt, locum etiam impoſterum habere debeant perpetuò.*

Ex quibus ad oculũ patet, quòd à Ratisbonenſi Monaſterio ad Cathedrale S. Petri Monaſteriũ nulla inſtitui poſſit paritas. Deinde ſit ita: quòd in Monaſterio S. Emerami, poſtquàm ibidem anno 739. ſive ùt alii volunt 740. collocata eſt Sedes Epiſcopalis, vel certè, uti Arnulphi Vochburgenſis apud Caniſium T. 2. Antiquarum Lectionum f. 80. verba ſonant: *ex eo tempore, quo primùm à B. Bonifacio Apoſtolicæ Sedis Vicario juxta Decreta Canonum in Bajoaria ordinabantur Epiſcopi:* quod anno 739. teſte Wilibaldo in Vita S. Bonifacii, & quidem ſub Carolo Martello accidit, ut-

potè

potè cui Gregorius II. commendabat Bonifacium. Fuerit ergo in Cathedrali Ratisbonenſi Monaſterio hæc conſuetudo, ut, qui antiſtites, iidem eſſent Abbates, veritis ſcilicet Epiſcopis, ne fortè, ſicuti in vita S. Wolfgangi legimus apud Mabillonium. Sæc. Bened. 5. f. 816. ſi Monaſterio juxta Regularis vitæ uſum Paſtor, & Rector præficeretur, ipſorum abuſiva poteſtas, vel obſequium minueretur. Sit etiam, quòd juxta Arnolfum in eligendis Epiſcopis hic ritus fuerit, ut viciſſim in Epiſcopatu ſibi ſuccederent Monachi, atque Canonici, ita, ut ſi Deceſſor fuerit Canonicus, ejus Succeſſor Monachus eſſet: ubi planè factum eſt, ut aliquis ex Canonicis electus ita ſæcularis eſſet Epiſcopus, quatenus ſimul S. Emerami Abbatem ageret, quemadmodùm in Baturico res certa eſt. Hæc ita fuerint: ejusmodi tamen conſuetudo, quamvis parùm laudabilis, nonniſi ſæculò octavò invaleſcente (tunc enim, ùt dixi, Sedes Cathedralis S. Emmerami translata, & Epiſcoporum in Bojaria ordinatio à S. Bonifacio facta eſt) & quidem ſub Caroli Martelli regimine introducta eſt. Quis autem ignorat verba Mabillonii, quibus miſerabilem per id tempus rerum Eccleſiaſticarum ſtatum deſcribit dicens lib. præfat. pag. 155. ſæculò ferè octavò ſæculares, Epiſcopi, tum etiam Clerici in Monaſteriis captabant Regimen Abbatiale. Et Tomo II. Annal. Bened. ad annum 723. ſcribit, parvam tunc Decretis Canonum reverentiam fuiſſe, eâ námque fatalium temporum inſolentiâ Epiſcopis, aliisque Clericis, & Abbatibus ſæcularibus Abbatiæ conceſſæ ſunt, quam Eccleſiæ humiliationem, ait vetus Author, Quintilianus Religioſus Pontifex tam graviter tulit, ut præ animi ægritudine totius corporis membrorum officiò privatus ſit. Ab eo tempore nobile S. Germani ea in urbe (Antiſiodorenſi in Gallia) Monaſterium communem ſubiit fortunam, adeò, ut accedente Saracenorum in illas partes impreſſione nihil fermè reliqui Monachis fuerit. Et quî aliter fieri potuiſſet, cùm tales Abbates de reddituum ampliatione, non item de S. Regulæ diſtrictione ſolicitudinem geſſerint: id, quod de S. Emmerami Monaſterio expreſsè affirmat vita S. Wolfgangi apud Mabillon. Sæcul. Ben. 5. fol. 818. Dum ergo Præſules cœnobium prædictum, poſtquàm illud anno 739. ſive 740. Cathedrale evaſit (quo certè tempore Carolus Martellus Bojariam in ſuam poteſtatem jam redegerat) ab Imperatoribus &

Regibus obtinentes in poteſtatis ſuæ arbitrium redigerent, obeunte illo, quem invenerunt, nullum deinceps Abbatem ſubſtituere curaverunt, ne carerent quarundam rerum emolumentô.

Cùm igitur eo modo Epiſcopi Monaſterii bona retinerent, atque diſtraherent, nec Monachis neceſſaria providere curarent, dabant eis licentiam, undecunque poſſent acquirere, quibûs in victu, & veſtitu egerent. Quo ſanè modo diſciplina periit, ut vel ideò author vitæ S. Wolfgangi ſequentia ſcribere non dubitârit: *Beatus itáque Præſul Wolfgangus videns in civitate Ratisbona Monaſtica vita irreligioſitatem, crebrò ſuſpirans dicere fertur: ſi Monachos haberemus, reliqua ſatis ſuppeterent.* Hæc monaſticæ Religioſitatis corruptela, quæ per aliorum, quàm Monachorum, Abbatum præfectionem ſuborta eſt, primùm in Bavariam ingreſſum invenit ſub Caroli Martelli tempora, prioribûs verò temporibûs nullus in Gallia, minùs in Bojaria ordinabatur Abbas niſi Monachus. Unde rectiſſimè in vitam S. Leodegarii animadvertit Mabillonius inquiens: *Monachorum Pater ac Monachus fuit S. Leodegarius: nulli enim ante Caroli Martelli Principatum Monachis præficiebantur, niſi Monachi, non Clerici quidem, quos Gregorius Magnus non ſemel in Epiſtolis ſuis ab Monachorum regimine excludit. Si quis tamen ex Clerico Monachorum Prælatus ordinabatur, is monaſtico habitu aſſumpto ordinem profitebatur.*

Hæc vir ille Eruditiſſimus Sæcul. Ben. 2. f. 680. & hoc vel maximè in Cathedralibus Monaſteriis locum obtinuit, nam Teſte Gloſſario M. Latinitatis, Abbates Epiſcopi olim dicti fuerunt, quia exſtructa jis in locis Monaſteria Cathedralia facta ſunt, hac tamen conditione, *ut, qui Abbas à Monachis eligeretur, eſſet & Epiſcopus.* Pro cujus confirmatione præter plures alios authores idem author adducit in exemplum Cathedrale quondam Sancti Petri Monaſteriũ Juvavienſe. Quoniam itáque Sanctus Rupertus Carolum Martellum diu præceſſit, utpotè quem C. D. Hanſizius anno 741. ex humanis abjiſſe ſcribit, prioribûs verò temporibûs, ante Caroli Martelli Principatum, nullus, ne quidem in Gallia, minùs in Bojaria (quemadmodùm ad evidentiam demonſtratum eſt) Monachis præficiebatur, niſi Abbas regularis & Monachus. Hinc S. Rupertus quia nomen & munus Abbatis geſſit, ſequitur, quòd fuerit abs dubio Abbas Regularis & Monachus.

AD

Ad Decimum ℞. Dato, non conceſſo, ſummum Pontificem, dum ait in Bulla Sant-Petrenſium Jurium confirmatoria, *S. Rupertum quondam veſtrum Abbatem & Epiſcopum Salisburgenſem:* loqui ex Salisburgenſium Traditione; hæc tamen Traditio antiquiſſima eſt, & perpetua populi Traditione ad hæc usque tempora propagata: Unde quàm fortiſſimum Monachico S. Ruperti Inſtituto robur ſuperaddit; de hac quippe Traditione dicere poſſum cum R. P. Irſing S. J. in Hiſt. Oetingana f. 23. *quòd vetuſtiſſimis fama tacentibus Libris unica rerum præteritarum ſit nuntia.* Et iterum cum Jacobo Gretſero S. J. Theologo L. 1. obſervat: de SS. Euſtach. c. 6. fol. 180. exclamare juvat: *hæc ſanè Traditio magni pendi debet, præſertim ab Hiſtorico, cujus non tantùm eſt advertere, quid veteres ſcriptum reliquerint, ſed &, quid absque ſcripto tradiderint. Cujus Traditionis neglectus viros quoque doctos à recto tramite nonnunquam abripuit*, cúmque hoc per unum & alterum exemplum manifeſtum reddidit, poſteà ſubjunxit fol. 182. *Quæ duo ætatis noſtræ exempla ideò protulerim, ut planum fiat, quanta ſit Traditionum, quæ in Eccleſiis vigent, vis, quanta authoritas, quantúmque pondus.* Quibus omnibus nolo ſuperaddere plura, niſi illud duntaxat, quod Reverendiſſimus, & candidiſſimus p. m. Abbas S. Petri Amandus de ſimilibus Traditionibus pronuntiare auſus eſt, dicens: *perpetuæ Traditioni inhærendum eſt, quæ veluti quadam manuductione à majoribus ad poſteros derivatur.* Deinde Pontifex Eugenius loquitur ex certa notitia, dicit enim: *ſtatuentes, ut Regularis ordo, qui ſecundùm Deum, & Beati Benedicti Regulam per Sanctum Rudpertum quondam veſtrum Abbatem & Epiſcopum Salzeburgenſem in eodem loco introductus, & inſtitutus eſſe dignoſcitur.* Qui terminus *dignoſcitur* certam de re aliqua notitiam infert: neque immeritò: hanc námque certam de Abbatiali S. Ruperti officio, aliiſque in Bulla contentis prærogativis, & Juribus notitiam ſummus Pontifex accepit per plenam ab Eberhardo Archi-Epiſcopo factam informationem. Sicuti Pontifex ipſemet in eadem Bulla teſtatur hîs verbîs: *prout Litterîs privilegiorum Archi Epiſcoporum, & Canonicorum per præfatum Venerab. Fratrem noſtrum Eberhardum plenè informati fuimus.* Temerariis proinde adſcribi mereretur, quisquis Abbatiale Sancti Ruperti officium in dubium

Digitized by Google

dubium vocare, ne dicam negare auderet. Siquidem narrativam etiam in puncto Hiſtoriæ, quando in tertia perſona dicitur, *ut aſſeritur*, multò magis, quando Pontifex dicit, *dignoſcitur*, & equidem *per plenam informationem*, non à quibusdam privatis, ſed in publica, eáque maxima & Archi-Epiſcopali dignitate conſtitutis, doctrinâ, ſanctitate, ac miraculorum gloriâ conſpicuis perſonis (qualis Sanctus Eberhardus fuit) atque inſuper per talia documenta, quæ juxta Leibnitium *certiſſima Hiſtoriæ fundamenta ſunt*, ùt puta per Litteras, & Inſtrumenta publica Archi-Epiſcoporum & Canonicorum Salisburgenſium: talem, inquam, narrativam etiam in puncto Hiſtoricæ nullius erroris argui poſſe, ſed ſecluſa evidenti demonſtratione in contrarium firmam probationem facere, non tam Juris Canonici, quam rerum diplomatariarum peritis indubium eſſe, pro certo tenetur. Magnum ſanè Patrocinium noſtræ cauſæ à Bulla Eugenii III. accedit. Si enim jam tunc, id eſt anno Chriſti 1149. communis fuit Salisburgenſium Traditio, qua etiam ſummus Pontifex ita fuit convictus, ut tanquam rem indubitatam tam enixa aſſeveratione conteſtaretur, quis jam porrò neget, primam, & venerandam antiquitatem à nobis ſtare? & vel hinc, ſi jam nulla extarent ejusdem rei documenta (quæ non rarò temporum injuriis pereunt) tunc extitiſſe præſumendum foret. Certè, ſi diſſentientes ſimilem Traditionem ſibi faventem haberent, immanè quantùm plauderent, & triumphum plenis buccis concinerent.

Ad Undecimum ℞. Errare nimiùm quantùm, quotquot ſibi malè perſuaſum habent, Cl. D. Hanſizium voluiſſe ſubſcribere hujus Kirsgartenſis Canonici ſententiæ, dum erroneam ejusdem opinionem ſimpliciter recenſet, quaſi verò in Cl. D. Hanſizio non venerarentur Litterati virum, quem exquiſita eruditio in nullo genere deſtituit, ut vel ideo ſciat, ſe ſcire S. Ruperti ætate nullos tales Sancti Auguſtini Canonicos fuiſſe, quales nunc dari non ignoramus. Nolo hic repetere fundatiſſima illa principia, quibûs Mabillon vir ille, in quo Eruditio, & Religio de victoriæ palma dubio Marte decertant, in gemina ſua apologia ex antiquiſſimis monimentis ſolidiſſimè deducit, Benedictinos ſupra Canonicos Regulares univerſim & generaliter antiquiores eſſe; unicè hic ſermo ſit de Juvavienſi ad Sanctum Petrum Sede, quæ nullo nunquam tempore Canonicos

Re-

Digitized by Google

Regulares pro inſeſſoribus, minûs pro fundatoribus habuit, usque ad B. Conradi Archi-Epiſcopatum, qui primus omnium in Juvavienſi Sede Canonicos Regulares Sancti Auguſtini inſtituit, veluti docent Reverendiſs. DD. Albertus Abbas in Catal. Abbat. fol. 26. Perilluſtris D. L. Baro à Düker in Chron. ſuo Germ. Salisb. Clariſs. D. Hanſizius Cl. DD. Mezgeri, Cl. D. P. Carolus Meichlbök in Hiſt. Friſing. fol. 302. R. P. Thomas Weiſs in Chronico generali ord. p. 2. fol. 22. R. D. Raderus in Bavaria ſancta p. 2. fol. 247. talia refert: *Conradus primùm collegium Sacerdotum in ordinem redegit, & Legibûs S. Auguſtini devinxit, ut Canonici ab Regula dicerentur.* En! quomodò extraneus hic celeberrimus Scriptor dicat, quòd B. Conradus in Sede Juvavienſi *primùm* poſuerit Regulares S. Auguſtini Canonicos. Idem Hundius habet in hæc verba Metrop. Salisb. p. 1. fol. 9. *Conradus communem vitam Canonicorum Regularium Juvaviæ inſtituit.*

Clarius adhuc teſtimonium de hac veritate perhibet Author Chronici Reichenſpergenſis apud Gewoldum fol. 163. dicens: *Chuonradus Archi-Epiſcopus ad Sedem ſuam jam reverſus cæpit in ipſa Epiſcopali Sede Salzburgenſi Canonicam vitam inſtituere, quam & Ipſe profeſſus erat.* Audi, quænam Scriptor vitæ S. Gebhardi Archi-Epiſcopi Salisburg. apud Basnage Tom. 3. p. 2. fol. 441. ſubjungat. *Rurſum*, inquit, *Eccleſiæ propriæ* (Salisburg.) *ſtrenuè invigilavit* (Conradus) *& inter cæteros ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ dignos per Ipſum profectus, majoris Eccleſiæ Clericorum vitam in melius informavit, & communem vitam Canonicorum S. Auguſtini ibi initiavit.* Quando verò Beatus Conradus *cæpit inſtituere, inſtituit, & initiavit* in Eccleſia Cathedrali Salisburg. Regulares Canonicos, tunc nullus non videt ejusmodi Regulares S. Auguſtini Canonicos anteà Juvavii nequaquam extitiſſe.

Id ipſum tradunt varia M. SS. Chron. Salisb. Caniſianũ Tom. 6. antiqu. Lect. fol. 1256. dicit: *annò 1121. Communis vita in Eccleſia S. Rudperti à Chuonrado Archi-Epiſcopo inſtituitur. 13. Calend. Febr.* Eadem omninò verba cum ſola anni differentia Chronologica legimus in Salisburg. Chronico Sæculò XII. ſcribi cæpto, quod, ùt diximus, à Caniſiano diverſum eſt, quòdque Typis edidit Cl. D. P. Hieron. Pez fol. & col. 343. Tom. 1. de Script. Auſtriæ, *annò*, ait, *1122. communis vita in Eccleſia S.*

*S. Rudperti à Chunrado Epiſcopo inſtituitur 13. Calend. Febr.* Vita denique Chunradi Archi-Epiſcopi Salisb. apud Cl. D. P. Bern. Pez Tom. 2. p. 3. fol. & col. 237. hæc continet formalia Cap. 9. *In ipſa denique Sede, quod fieri nunquam poſſe virtute, vel potentiâ cujusdam mortalis hominis aliquis crederet, vanitatem, ac jactantiam, ac pompam evertens ſæcularem, humilitatem Chriſti fundavit, ejectísque, qui in vulgo appellabantur Sæculares, Clericos Profeſſores vitæ communis repoſuit.* Hæc omnia confirmat Titulus ejusdem cap. 9. qui ſic ſonat: *Canonici Regulares in Eccleſiam Salzburg. inducti.* Et mox cap. 10. Ejusdem vitæ tale præfixum eſſe cernimus titulum: *Canonici Regulares etiam in Eccleſiam Gurcenſem introducti.* quaſi diceret: Canonicorum Regularium ordo non tantùm in Salzburgenſi Metropoli, verùm etiam in Cathedrali Eccleſia Gurcenſi ſub Conrado Archi-Epiſcopo inſtitutus eſt: unde eodem cap. 10. ſubdit: *In Eccleſia Gurcenſi communis vitæ conſtituit ordinem, & Profeſſionem, ſicut usque perſpicuum eſt, & oculis cernitur,* quod nempè ibidem poſiti ſint Regulares S. Auguſtini Canonici. *Et hic quidem parvam habuit contradictionem, in Salzburgenſi verò Eccleſia ſupra humanam virtutem fuiſſe, quod factum eſt, credebatur, ſi non divina gratia atque potentia inſpiratione ſua præveniſſet famulum ſuum, ut rem tam arduam aggrederetur* (inciperet) *& cooperatione adfuiſſet, ut conſummaretur. Sed O utinam* (pergit ulteriùs ibidem author) *ordo ille* (S. Auguſtini Canonicorum Regularium) *tam ſanctus, tam bonus, & verè Apoſtolicus in Loco eodem* (in Salzburgenſi Sede) *tanto vigore progreſſus eſſet, ut usque in finem perſeveráſſet, quanto fervore in initio plantationis ſuæ* (quam ſub Conrado factam eſſe modò deſcripſimus) *germinare viſus eſt.*

Hoc porrò aſſertum corroborant Calliſti II. hujus nominis de anno 1122. Ejúsque ſucceſſorum Honorii, Innocentii, Eugenii, Adriani, Urbani, Innocentii, & Gregorii Diplomata, quorum authenticas copias etiamnum aſſervat Archivum S. Petri. In his ſummi Pontifices confirmant *Eundem Ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Sede Archi-Epiſcopali Salisburg. à Conrado Archi Epiſcopo noviter* (ùt ibidem Pontificiæ Bullæ loquuntur) *inſtitutum.* Claret hoc ipſum ex Bulla Leonis X. expreſsè dicentis, *quòd procurante bonæ memoriæ Conrado Archi-Epi-*

*Epiſcopo Salzburgenſi Ordo Canonicorum Regularium ejusdem S. Auguſtini inſtitutus ſit in eadem Sede & Cathedra Metropolitana Salisburgenſi.* Sin autem pertinaciter, contendas, jam ſub tempora S. Ruperti in Juvavenſi Sede fuiſſe Canonicos, tum aio, affirmo, & perſeveranter propugno, fuiſſe omninò Canonicos, ſed non alios, quàm Benedictinos: placeat audire, quod Eruditis omnibus in confeſſo eſt, quia etiam Benedictini nonnunquam Canonicorum nomine efferebantur: ſic Monachi illi, quos Mabillonius in ſuis Benedict. Annalibus Tom. 2. fol. 646. memorat in Baſilica S. Mariæ trans Tiberim fuiſſe à Gregorio IV. Pontifice inſtitutos, fuerunt ſimul Canonici ſecundùm illud Anaſtaſii Rom. Eccl. Bibliothec. de vitis Pontificum f. 240. *Juxta Latus prænominatæ Baſilicæ Monaſterium à fundamentis ſtatuit* Gregorius IV. Papa, *& novis fabricis decoravit, in quo etiam Monachos NB. Canonicos aggregavit:* hos verò Canonicos ex eodem Anaſtaſio cum Mabillonio in Apolog. fol. 35. Cl. P. Felix Egger *Benedictinos* fuiſſe affirmat in Idæa Ordinis Hierarchico-Benedictini pag. 65. *& hinc credo factum eſſe*, ait ibidem idem Author, *ut ſapientiſſimus Leonardus Vairus, Beneventanus SS. Theolog. Doctor, in Libris de Faſcino, Canonicus Regularis Ordinis S. Benedicti ſcriberetur.*

Neque imeritò: quando enim Canonicorum munus eſt Divina peragere officia, tunc Benedictini rectè vocantur Canonici, quoniam Ipſorum Ordo totus quantus à primis incunabulis Divinis officiis, & Apoſtolicis laboribus cum immortalibus meritis addictiſſimus fuit.

Teſtimonium omni exceptione majus habemus in Decreto Bonifacii VI. Sumi Pontificis, quod ita ſonat: *ſunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audaciſſimè quidem zelò magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, aſſerentes, Monachos, quia mundo mortui ſunt, & DEO vivunt, Sacerdotalis officii potentiâ indignos, neque Pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per ſacerdotalis officii Divinitùs ſibi injunctam poteſtatem, ſed omninò labuntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar, Beatiſſimus Gregorius Monachico cultu pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ligandi, ſolvendíque poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus, Ejusdem quoque Sanctiſſimi Gregorii Diſcipulus, Anglorum Prædica-*

*dicator egregius, & Pannonienſis Martinus. aliique quàm plurimi Sanctiſſimi Viri, pretioſo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali ſubarrharentur. Neque enim Beatus Benedictus Monachorum Præceptor, hujus rei fuit aliquo modo interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere, quod quidem Apoſtolicîs documentîs & SS. PP. Inſtitutîs non ſolùm NB. Monachis, ſed etiam NB. Canonicis maximoperè imperatur, utrîsque enim perſpicacibûs SS. PP. exemplîs, ut mundo mortui ſint, præcipitur. Credimus igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique officium adminiſtrari, ſi tamen dignè contigerit, eos hoc miniſterio ſublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis ſtatum Monachorum & habitum conſiderat: Angelus enim Græcè, Latinè nuntius dicitur: Sacerdotes itaque NB. Monachi, atque NB. Canonici, qui DEI præcepta annuntiant, Angeli vocantur, ſed unusquisque Angelicus ordo, quantò viciniùs DEUM contemplatur, tantò ſublimiùs dignitate firmatur.*

*Decertantes igitur Monaſticæ Profeſſionis Presbyteros, Sacerdotalis potentiæ arcere officiô omni modo præcipimus, ut ab hujusmodi nefandis auſibus impoſterùm reprimantur, quia quantò quisque excelſior, tantò potentior.*

Bonifacianum hoc Decretum Facultas Theologica Salmanticenſis maxima ſemper in veneratione habuit: quare pro Benedictinis glorioſam hanc tulit ſententiam. *Nos Convicti aperta Pontificis deciſione, non potuimus ei non ſubſcribere debitâ reverentiâ: atque ita cenſemus, Monachos Benedictinos, quantùm eſt ex Profeſſione, quâ juxta Regulam ſuam devinciuntur, aut ex Inſtituto ſeorſim vivendi à reliquis hominibus, ut liberiùs poſſint vacare contemplationi rerum Divinarum, non impediri, quò minùs poſſint à ſuis Superioribus mitti in Angliam & alias provincias, ut dent operam reductioni hæreticorum ad fidem Catholicam, à quâ defecerunt, & converſioni quorumcunque infidelium ad eam.*

*Addimus præthereà NB. perpetuo uſu, ac conſuetudine fuiſſe in Ordine Divi Benedicti receptum, ſummâ & evidenti utilitate Catholicæ Eccleſiæ, ùt confirmat teſtimonium, cujus meminit Gratianus cauſ. 16. qu. 1. & præter id ſunt plena NB. Exemplorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, plena ferè NB. omnium Catholicorum Scripta, quæ NB. hoc no-*

*nomine NB. miris laudibus NB. hunc Ordinem extollunt. Unde communis penè NB. omniū Chriſtianorum animis inhæſit opinio, NB. iñumeros ex NB. hoc Ordine NB. Doctores, NB. Concionatores, NB. Martyres & NB. Pontifices prodiiſſe, ut NB. nemo ſit, cui hæc ignota eſſe poſſint. Ita tenet Schola Theologorum Salmanticenſium.* Cl. D. Bucelin. in Benedict. Rediv. f. 165. Et hæc Benedictinis univerſim ſunt dicta; jam quantùm Benedictini Salisburgenſes ad S. Petrum Salisburgi propagationi fidei prædicando, & aliis Apoſtolicis, Canonicis & Clericalibus laboribus addicti fuerint, exinde colligitur, quòd Eugenius III. Papa Sant-Petrenſibus Benedictinis præcedentiam, & alias prærogativas ac Jura, ob conceſſum Jus non tam Plebeſanum, quàm Electionis reſervata, & à B. Conrado I. & hujus Reverendiſſimo Capitulo confirmata, de novo confirmârit inquiens: *Omnia Jura & Privilegia, quibus præ aliis Eccleſiis ob celebrem antiquitatem & NB. merita fidei, quæ NB. multis gentibus NB. à vobis illuxerunt, honorati eſtis &c.* Et iterum Litteræ B. Conradi I. in hunc modum teſtantur: *Indignum & indecens eſſet illis honorem & Prærogativam non tribuere, de NB. quorum Laboribus NB. tot Provinciæ & populi fidei incrementa ſuſceperunt &c.* Rurſus B. Eberhardus I. effatur. *Movit Veneranda antiquitas Eccleſiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & NB. fundamentum fidei NB. multarum Provinciarum, à NB. quâ NB. reliqua Monaſteria, & NB. Eccleſiæ exordium ſumpſerunt &c.*

Tandem Eberhardus II. Archi-Epiſcopus Salisburgenſis ait: *Eberhardus* (Primus) *ob antiquam dignitatem Eccleſiæ S. Petri, quæ Metropolis fuit, & NB. omnis ſalutis NB. fundamentum, NB. totius Provinciæ & NB. multarum gentium &c.* Ita authenticus Abbatum Sant-Petrenſium Catalogus. Quoniam ergo Sant Petrenſes Benedictini æquè ac Transtiberini ſuprà memorati Monachi Divina Canonicorum expleverunt officia, tunc æquè ac Transtiberini antefati Monachi Canonicorum ſibi nomen Jure vendicare poſſunt.

Ignoſcas mihi, quòd mentem meam tam candidè pandam jugiter ingeminando, te minùs accuratè Conciliorum Acta perlegiſſe, quî enim aliàs fieri potuiſſet, ut ignorares, *Regulæ Canonicæ* nomine nonnunquam Benedictinam ſignificari? Nunquid Mabillonio teſte in Libro



Digitized by Google

Præfationum pag. 105. in Synodo, quæ S. Leodegarii, ſeu Auguſtodunenſis vocabulum præfert, *Ordo Canonicus, & Regula S. Benedicti*, pro eodem uſurpatur? Et ſi hoc de Benedictinis in genere loquendo de omnibus & ſingulis procedat, multò magis id ipſum affirmare poſſumus de Benedictinis in ſpecie, qui in Cathedralibus Eccleſiis Canonicorum vice conſtituti ſunt, quemadmodùm veritatem hanc teſtatam facit Benedictinus Mabillonius ex verbis Altfridi Epiſcopi in Liudgeri Actis, quæ ita leguntur: *Sedem Mimigardefordenſem B. Liudgerus à Carolo M. deſignatus Epiſcopus inſtituit in Loco, cujus vocabulum Mimigerneford, ubi Domino Ipſe honeſtum conſtruxit Monaſterium ſub Regula NB. Canonica* (id eſt, ùt ibidem exponit idem Celeberrimus Author, *Benedictina*) *Chriſto famulantium.*

Et certè quos alios magis Canonicos vocabis, quàm Benedictinos, qui in Cathedrali S. Petri Monaſterio pro Canonicis à S. Ruperto primo ſuo Abbate-Epiſcopo ſunt inſtituti? Audiamus Mabillonium Lib. Præfat. de 104. ita diſſerentem: *Non ſatìs erat Religioſoribus viris ædes in Germania ſtatuiſſe, niſi etiam Epiſcopos, & majores Eccleſias novellis Chriſtianis viri illi Apoſtolici providerent. Hinc Wilibrordus Trajecti ad Rhenum, Rudbertus Salzburgi, Corbinianus Friſingæ, Cathedras Epiſcopales inſtituerunt, & Bonifacius facta ſibi à Pontifice Romano poteſtate alias ædes conſtituit, Wirziburgi, Buriburgi, Erpesfurti, & Eiſtetti, Willehadus verò aliam Bremæ. Et in Eccleſiis illis Monachi ab initio pro Canonicis inſtituti ſunt.*

Porrò quinam alii magis Canonicorum nomine inſigniri merentur, quàm illi, qui Cathedrale inſident Monaſterium, in eadem Epiſcopali Sede ſuccedendi Jus actu poſſident, Jus Plebeſanum fideliter exercent, præ omnibus aliis Clericis præcedentiam ipſo actu exercito tenent, aliiſque Cathedralium Canonicorum Juribûs, Prærogativis & Præeminentiis gaudent? Tales autem priſcis illis temporibûs, ſub Præſulatu Sanctiſſimi Ruperti primi ſui Abbatis-Epiſcopi erant Benedictini ad S. Petrum intra Salisburgum, juxta illa, quæ diximus in Reſponſione ad objectionem nonam. Ergo pariformiter tunc Illis competebat Canonicorum nomen, ſiquidem, uti prævié demonſtravimus pro glorioſa iſthac ætate, iidem Benedictini ad S. Petrum intra Salisburgum non ſolùm Titulares

(uti

( uti poſtmodùm Virgiliani Canonici ) verùm etiam reales, conſummati, & ipſo actu exercito tales Cathedrales fuerant Canonici. Recole, quæ pro hujus aſſerti confirmatione adduximus in Reſponſione ad objectionem nonam, neque enim labor, quem in relegendo impendes, nimiùm moleſtus tibi videri debet, ſed amor veritatis, à cujus affectu Hiſtoricos omnes ex toto occupatos eſſe oportet, laborem omnem in dulcorem vertet ſecundùm illud effatum Melliflui Doctoris: *ubi amor eſt, ibi non labor, ſed ſapor eſt*.

Rectiſſimè proinde Clariſs. Ille Auguſtanus Hiſtoricus, quem Salisburgenſis Facultas Theologica meritiſſimô condecorat encomiô, quòd fuerit *Vir, quo terra candidiorem vix tulit, quique in copioſis ac famoſiſſimis ingenii ſui ſublimis elucubrationibus, omne penè ſcibile feliciſſimè, & glorioſè emetientibus dudum famâ ſuper æthera notus inclaruit*, ſequentem ſubintulit concluſionem: *In Germania quoque olim Monachos Benedictinos plures rexiſſe Eccleſias Cathedrales, nemo dubitare poteſt. De Salisburgenſi Metropoli notum eſt, paucas reperiri Eccleſias Cathedrales Germaniæ, queis non præfuerint Monachi Benedictini, oſtendit Bucelinus p. 1. Germ. Sacra, ubi etiam munus Canonicorum obibant, Canonici Cathedrales appellati, ut adeò Canonicum Regularem in Eccleſia Cathedrali fuiſſe, non protinùs legitimè inferatur, Canonicum Regularem S. Auguſtini fuiſſe, cùm in Eccleſiis Cathedralibus olim immorarentur Canonici Regulares, ſed Regulam S. Benedicti, non modernam S. Auguſtini Regulam Profeſſi.*

Et hæc eſt Sententia, quæ ùt plurimùm roboratur verbis Libelli donationum cap. 11. quæ ita ſonant: *Poteſtatem verò Epiſcopo* ( Virgilio ) *dedit, Guntherius, regendi ipſam* ( Capellam Oetinganam ) *Abbatémque ibi ordinare, & Monachos NB. de Ipſa Sede ibidem ponere, ſive NB. Canonicos*. Hæc ibi. *Unde colligitur*, ait Reverendiſſimus & Clariſſimus tam Theologus, quàm Hiſtoricus DD. Albertus Abbas S. Petri in Authentico Abbatum Sanct-Petrenſium Catalogo p. 11. *& Monachos S. Benedicti dictos fuiſſe olim Canonicos, nam præter Monachos illos eo tempore nulli erant Canonici Salisburgi, cùm S. Virgilius, utpotè primô Regiminis ſui annô* ( puta primô ordinationis ſuæ annô ) *necdum fundamenta Eccleſiæ S. Ruperti poſuerit*. Sicuti Erchambertus Epiſcopus Friſingenſis in illo Inſtru-

ſtrumento commutationis, quæ annô 845. contigit, dicit ex ratione Eccleſiæ ſuæ cum conſenſu & conhibentia Canonicorum & Monachorum, aliorúmque fidelium in ipſa Eccleſia degentium bona quædam ad Puanteshuſum Hittoni cuidam Laico nobili viro conceſſiſſe. Ubi inter Teſtes de Familia NB. primô locô non alii, quàm NB. *Monachi* ponuntur, v. g. *Vodalpald Presbyter & Monachus, Gozroh Presbyter & Monachus, Sindmar Presbyter & Monachus.* Neque ulla ibidem fit diſtinctio inter Canonicos, & Monachos, ut proin teſtes, qui fuerant Cathedralis Monaſterii Friſingenſis Monachi, & dicti ſint ejusdem Sedis Canonici.

Quæ omnia confirmare liceat Authoritate Clariſs. D. Hanſizii Tom. 2. Germ. Sac. fol. 1001. non minùs verè, ac cordatè, quàm ſolidè, ac nervosè pro more ſuo ita arguentis: *Profectò tanta ſunt Ordinis Benedictini in gentem præcipuè Teutonicam promerita, cumprimìs eo tempore, cùm omnia profundâ rerum cæleſtium ignoratione ſquallerent, cùm incultus populus, & quid niſi potiorem partem Barbarus? Litteræ nullæ, vix ulla morum, & humanitatis diſciplina: tum fuit iſtius Ordinis tam inſignis & præſtans uſus, ut nihil ſupra meritum dici queat. Hi primi ferè ſylvam illam frementium Beſtiarum ingreſſi, Virîs Apoſtolicîs in omnem partem dimiſſis, prædicatâ cæleſti doctrina, conditîs Eccleſiis, erectîs Epiſcopatibûs, humanîs & Divinîs artibûs introductîs, tum vitâ Chriſtianâ ſanctimoniâ ſuîs moribûs & exemplîs propoſitâ, tantum effecerunt, ut incultum illud ſolum Religionis, & humanitatis omnis domicilium fieret.*

*Jam Monaſteria tot locîs erecta, multiplicem habebant uſum: primùm, ut eſſent veluti præſidia, & firmamenta Religionis; ut virorum ſanctorum contuberniô populus excoleretur, & manſueſceret; ut eliminatîs ruditatibûs, ac ſuperſtitionibûs Divinus vulgaretur cultus, & quàm creberrimis in locis concinerentur DEO Laudes, populîsque eſſent ad manum, & fidei, & piæ vitæ, & diſciplinarum Magiſtri, quorum inſuper ope commodi formarentur animarum Paſtores.*

*Sed Princeps omnium fructus erat in Eccleſiis Cathedralibus, quæ potiores in Monaſteriis collocabantur, velut in arcibus, & caſtris pietatis, & Religionis, quorum & conſilium & opera præſtò eſſet Epiſcopis, quibus tanquam juratis vitæ ſanctæ*

Pre-

*Profeſſoribus & legitima Divini cultûs adminiſtratio, & Clericalis cuſtodia diſciplinæ tutò committeretur. Inde nomen Baſilicis Cathedralibus, quo vulgò ſolebant appellari Monaſteria, Germanis uſitatum hodiéque vocabulum* Münſter. Nam ùt eruditè Gretſerus in obſervationibus ad Commentar. Philippi Euſtettenſis Epiſcopi L. 1. pag. 17. Primi illi Cathedralium Eccleſiarum Canonici Monaſticam vitam profitebantur, edocti à primis ſuis Magiſtris, quorum multi Monachi erant: & ipſemet S. Bonifacius in Metropolitana ſua Sede Moguntiæ Monaſterium condidit, & Canonicos nonniſi Monachos habuit, qui diu in hoc vitæ genere perſeverârunt, appellabántque ſe *Conventum Fratrum de domo &c. Conventum Fratrum de S. Martino*, ùt legere eſt in ipſorum Epiſtolis ad S. Hildegardem, quæ poſt annum MC. floruit. Marianus Scotus ad annũ M.L.XXI. *Monaſterium* vocat *S. Martini*, & alibi *Epiſcopale Monaſterium*. Sic & Friſingæ primi Canonici vitam ſunt Monaſticam Profeſſi, quod Otto Friſing. teſtatur L. 5. Chron. cap. 24. quod aliîs item argumentîs abundè firmavit nupernus Eccleſiæ Friſing. Hiſtoricus. Id ipſum certum de Eichſtattenſi. Nam *Wilibaldus Epiſcopus de Monaſterio Aichſtadi* ſubſcriptus eſt in Conventu Attiniacenſi annô 765. de Monaſterio Cathedrali S. Emmerami legitimus teſtis eſt Arnolfus Chambenſis L. 2. Mirac. S. Emmerami apud Caniſ. Tom. 2. p. 80. Idem fuit in Eccleſia Mimigardefordenſi, ùt legere eſt in Vita S. Ludgeri: Idem in Magdeburgenſi, aliîsque. Quô jam mirum videri non debet, etiam Salisburgi Monachos Cathedralem Sedem, Locúmque Canonicorum obtinuiſſe. Id autem inde fiebat, ùt ſuprà laudatus Gretſerus obſervat, quòd Eccleſiarum ejusmodi Conditores Monaſticam ipſi vitam fuerint ante Epiſcopatum profeſſi, qui dein etiam Epiſcopi facti eadem Profeſſione ſe non abdicabant. Inde Congregationes inſtituêre Monaſticas, cujusmodi Wilibaldus Euſtedii, Monachus Ipſe, & Monaſticæ vitæ ex Diſciplina Caſſinenſi accuratus obſervator & cuſtos. Hæc Gretſerus, qui quòd rectè diſſerat, colligi poteſt ex Roberto de monte Sigeberti continuatore, qui Sæculô XII. exeunte floruit; is ad annum MCLI. In Anglia ſunt, inquit, Epiſcopatus ſeptendecim, in octo eorum ſunt Monachi in Epiſcopalibus Sedibus: quia primi prædicatores Anglorum, ſcilicet Auguſtinus, Mellitus, Ju-

ſtus; & Laurentius Monachi fuerunt. En cauſam! cur Monachi Sedes Epiſcopales tenuerint.

Ex quibus jam arguas licet de S. Ruperto ( pergit idem Clariſſimus Author ) qui, ſi Monachus ipſe non fuiſſet, haud equidem apparet, quid adeò Monaſticum adamaverit Inſtitutum, ut ad Monachos omnia deferret, ac non potiùs alios Clericos ad rei Summam, & curam principem adſciſceret, quales haud dubiè minimè defuerint, etiam probi & gnavi, qui miniſterium ſacrum perinde ùt in multis Galliarum, & Italiæ Eccleſiis, æquè laudabiliter atque Monachi procurare potuiſſent. Tum, ſi Monachos etiam in eam rem adhibere erat animus, haud tamen erat opus, ut adeò ſe totum ipſis addiceret, ut inter eos etiam degere, apud eos figere Sedem, per Monachos omnia tractare, curam plebeſanam apud ipſos eſſe; quidquid donationum fiebat, ad Monaſterium referre, Monaſterio velut capiti & fundamento totam Eccleſiæ, quam moliebatur, fabricam inſtruere vellet. Videatur Libellus uterque Donationum: in his iterum, iterúmque, atque itentidem, quæ à piis donantur, tradi dicuntur ad *Monaſterium Salzburg*. Id, quod tantundem tunc erat, atque ad Eccleſiam ſeu Sedem Epiſcopalem: neque pro Clericis aliis ullæ peculiares leguntur factæ dotes, neque cætus ipſorum ullus erat, aut communitas ante S. Virgilium, qui primus eorum antiquos pro Divinis Officiis ad ædem novam S. Ruperti collegit. Ita me herclè detur locus ingenuæ veritati. Hæc Vir Clariſs. & Candidiſſimus D. Hanſizius locô cit. Tom. 2. Germ. S. fol. 1001. & ſeq.

Fuerunt itaque ſub Præſulatu S. Ruperti in Cathedrali S. Pètri Monaſterio intrà Juvavum Canonici, ſed non alii, quàm Cathedrales, atque Monachi, nullatenus verò Canonici Regulares S. Auguſtini, quales noſtra ætate ſuſpicimus, tales quippe tunc temporis univerſim, & generaliter ignotos fuiſſe ſcribunt Mabillonius, Dubois, Thomaſinus, Abelardus, & Godefridus de Vigeois cum aliis. Eſtque res hæc de Sede Salisburgenſi ante B. Conradum I. hujus nominis Archi-Epiſcopum omninò indubitatiſſima, veluti præallegatæ Bullæ cum Chronicis ad evidentiam demonſtrant.

Ad Duodecimum ℞. Acri debere feriri cenſurâ, quisquis tanto viro, quem præter conſummatam eruditionem innatus, & ſimul modeſtè cordatus candor morum Doctis omnibus Venerabilem reddit, hanc minùs honeſtati

neſtati convenientẽ notam affricare non metuit, vel potiùs non erubeſcit, quaſi animum partibûs infectum gereret, cùm tamen non uno in loco elaboratiſſimi ſui Operis ſolenniter proteſtetur, dicens, ſe nullarum partium ſtudio, ſed veritatis amori ſcribere: audire ne tibi diſpliceat formalia ipſius Cl. D. Hanſizii verba in hac Sant-Petrenſes concernente controverſia. *Conſtat*, ait, *in ſola Provincia Salzbûrgenſi Monaſteria condidiſſe majora tria: S. Petri Cathedrale, S. Maximiliani in Pongau, & ſanctimonialium in monte Salisburgenſi, neque dubites, cellas etiam complures, ſeu contubernia Monachorum minora diverſis ejus Provinciæ locîs inſtituiſſe, quorum complurium in Libellis donationum fieri mentionem, jam in prolegomeno obſervavimus, quæ Arnonis etiam ætate durârunt. Quid aliud hæc indicant, quam S. illum Præſulem huic Inſtituto fuiſſe penitus addictum? Cúmque inſuper hunc ordinem in Monaſterio ſuo, & Sede Cathedrali collocârit, præter Epiſcopi munus etiam Abbatis obiverit, Succeſſorem ex eodem Monaſterio ſibi delegerit; penes Monachos, velut Magiſtratum Canonicum, Adminiſtrationem Sedis eſſe voluerit; rationes Epiſcopi cum rationibus Monaſterii adeò conjunxerit, ut velut in unum corpus compegerit: & alioquin tum moribûs, & uſu receptum fuerit, ut ex illo Sacro Ordine veluti è ſchola præſtantiſſima virtutis, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ pro Evangelii prædicatione, & Eccleſiarum Regimine permulti usquequaque peterentur: non eſt, ut Traditioni derogetur antiquæ, ſanctum etiam Rupertum Ordinis fuiſſe Benedictini. Ita ſentio, ídque, ut meus fert candor, non NB. gratiâ cujusdam do, ſed ſtudio libero veritatis.* Tom. 2. Germ. Sacr. fol. 1001.

Præjudicioſum proinde fers judicium, quando à phantaſtica quadam imaginatione deluſus imaginariè exiſtimas, virum prælaudatum ex quodam partium ſtudio, non item ex præcognitæ veritatis amore ita ſcripſiſſe, cùm tamen nil magis exoſum habeat, quàm infenſiſſimum Placentinorum genus.

Cæterùm vehementer admiratus ſum, te mirari, quòd Cl. D. Hanſizius nullum adducat authorem: ſuſpicabar ſemper amicum mihi cum aliquo Hiſtorico litigium eſſe, ſed jam plurimùm deceptum me experior, cùm contra Hiſtoricorum morem expetas, quatenùs Cl. D. Hanſizius, dum in Benedictinorum conceſſit ſententiam, quæ

fortiter non minùs, ac ſuaviter S. Ruperti Monachatum defendit, alios inſuper expreſſo nomine adducat authores, quaſi verò non ſufficeret tacita, & implicita illorum authorum, quos Benedictini pro Monachico S. Ruperti Inſtituto producunt, approbatio; eo ipſo enim, quòd in illorum jêrit ſententiam, tacitè ſaltem & implicitè approbavit authores, qui hanc ipſam ſuſtinent ſententiam, quamvis, ut nihil diſſimulem, plus ab intrinſeca authoritate illam corroborare fuerit ſolicitus, ſicut in conſequentibus commemorabo.

## §. III.

PRæter authores etiam rationes pro Monachica S. Ruperti Normâ proponuntur præſertim illæ, quæ Cl. D. Hanſizio, viro ob Religionem, Doctrinam, eruditionem, & cordatum, modeſtiſſimè tamen, animi candorem optimè famoſiſſimo perſuaſerunt, S. Rupertum fuiſſe Monachum Benedictinum. Præter RR. PP. Benedictinos, atque illos, qui docent S. Rupertum Abbatis Nomen & officium geſſiſſe, quo ſanè tempore, uti per decurſum oſtendimus, nullus alius Monachis præficiebatur Abbas, quàm Monachus.

Idem tenent Eugenius III. Summus Pontifex in Bulla, B. Conradus I. in Litteris & Inſtrumentis publicis. B. Eberhardus I. in Litteris, quibûs Eugenium Pontificem plenè de omnibus informavit.

Archi-Epiſcopi & Canonici, quorum Litteris B. Eberhardus I. uſus eſt ad plenè informandam Summam Sedem.

Celſiſſimus & Sapientiſſimus Archi-Epiſcopus & S. R. I. Princeps DD. Paris ex Illuſtriſs. Comit. de Lodron, in Litteris ad Urbanum VIII. Summum Pontificem datis, quas in Authentico deſumpto in Sant-Petrenſi Archivo reperire eſt, atque ita ſonat. *Sanctiſſime & Beatiſſime Pater! appellat Beatitudinem veſtram tanquã comunem Patrem, Venerab. mihi dilectus amicus Joannes Chriſtophorus Eccleſiæ Corbejenſis Abbas, contra Juris Ordinem legitimâ Prælaturâ depulſus, & afflictus, poſt multam malorum hyemem hoc juſtitiæ ſole ſe recreandum confidens, & licèt ſpe, cauſaque bonitate plenus, dubio ſit procul, nihilominùs & opem meam humillimam ſedulò implorat. Suadet quidem toti orbi cognita Beatitudinis V. æquitas tanquam*

*in*

*in re minimè neceſſaria ſuperſedere labori, vincit tamen calamitas ſupplicantis, eáque immerita, vincit, quòd nobile membrum Divi Benedicti ſit Ordinis, cui ego unà cum mea Metropoli plurimum debere lubens meritò fateor, id enim NB. vita Inſtitutum Fundator, & Patronus Eccleſia noſtra S. Rupertus tenuit, aſſuevítque exin prafatus Ordo longa ſerie in rebus arduis conſilium vel auxilium quale quale etiam hoc efflagitare.*

Concordat authenticus Abbatum S. Petri Catalogus, de cujus authoritate Reverendiſſimus D. Author in præfatione ad Lectorem talia pronuntiat: *Scriptioni huic mea publicam addo fidem, quam juratus publicus Notarius praſtat ad Mandatum Illuſtriſſimi Principis, ut ſcilicet tantò major accedat veritatis authoritas, quantò illuſtrior ille, qui hac antiquitatis monimenta publica eſſe voluit.*

Hiſtoria Salisburg. à Cl. DD. PP. Mezgeris adornata, cui nimis quantùm accurati cenſores ſpecialiter ad id munus deputati nihil omninò inſeri ſunt paſſi, quod non primo ſtatim intuitu veriſſimum dignovêre.

Reverendiſſimus DD. Amandus (alios ex Sacro Benedictino Ordine adducere lubens volens ſuperſedeo) quo nullus alius magis pertinaci ſtudio antiquiſſima Petrenſium documenta perluſtravit, & examinavit, velut in Diſquiſitionibus S. Vitalis erudito Lectori ad oculum patet, unà cum Perilluſtri Domino à Dückern, qui fuit in rebus Salisburgenſibus verſatiſſimus, Eminentiſſimo Cardinali Archi-Epiſcopo & Principi Guidobaldo à Conſiliis, Aulæ & Cameræ, Statuúmque Provincialium Deputatus, & vel hîs nominibûs præ quibuscunque aliis extraneis Scriptoribus in præſenti negotio æſtimandus, maximè, quia ſuum illud Chronicon ſcripſit ad Guidobaldum Archi-Epiſcopũ, uti & ad Franciſcum Vigilium Epiſcopum Chiemenſem, cæteróſque omnes Provinciæ Salisburgenſis Status: & (approbantibûs Archi-Epiſcopalis Conſiſtorii Salisburgenſis in rebus ſpiritualibus Præſide, Conſiliariîs, & Judicibûs Eccleſiaſticîs) annô 1666. Typi beneficiô juris publici fecit.

Antonius Wilhelmus Ertl in Atlante Bavarico p. 1. §. 5. f. 184.

Joannes Gualterus in Chronico Chronicorum p. 1. c. 7. f. 899.

Marcus Velſerus Duumvir Auguſt. Rerum Boicarum L. 5.

Caſpar Bruſchius de Monaſter. Germ. fol. 467.

Hundius T. 3. Metrop. Salisb. ſub Rubrica S. Petri in Salzburg.

D. Schönsleben p. 3. fol. 317. & 318.

Demochares Tom. 2. fol. 65. in Catalog. Epiſcop. Wormat.

Joannes à S. Felice Ord. SSS. Trinitatis de Redemptione captivorum in Supplemento ad Flores Sanctorum Ribadeneiræ 27. Martii n. 8.

R. D. Caſparus Laxus Decanus & Parochus in Frauenfeld in Opere, cui titulus in noſtra lingua vernacula eſt: Hiſtoriſch Theologiſcher Grundriß der Alt- und jeweilligen Chriſtlichen Welt: L. 3. cap. 9. art. 7. pag. mihi 292. agit de S. Noſtro Ruperto, & ut efficaciter probet, eundem S. Virum fuiſſe Religioni Romano-Catholicæ penitùs addictum, inter alias rationes has etiam affert. 3tiò. Quia Monachatum S. Benedicti profeſſus eſt. 4tò. Quia ex Monacho Benedictino Epiſcopus eſt conſecratus. 7mò. Quia in Monaſterio à ſe erecto Monachos Benedictinos congregavit, quibus ipſemet tanquam primus Abbas doctrinâ, & virtutibûs ita præluxit, ut multi ex eodem Monaſterio ejus Succeſſores effecti Cathedralem Salisburgi Sedem inſigniter exornaverint. Wicelius in Choro Sanctorum L. 4. c. 67. poſt hæc (Sede ſcilicet Epiſcopali Salisburgi ſtabilitâ) ſolitudinis ſtudioſus Monachicæ vitæ incubuit.

Aubertus Miræus Scriptor Clariſſimus in Originibus Benedictinis c. 11. *In hoc Monaſterio* (puta S. Petri Salisburgenſi) *Ipſe S. Rupertus, & ſeptem ejus Succeſſores Sedem Epiſcopalem habuerunt, adeóque tam Epiſcopatui, quàm Abbatiæ laudabiliter præfuerunt.*

Scriptores Sant-Petrenſes, qui jam ſub Sæculum octavum ſcripſerunt, de quibus illud Raynaudi Cl. Lovanienſis Theolog. locum habet: Hiſtorici cujusvis Ordinis in rebus ad Ordinem ſuum ſpectantibus, maximè, & præ cæteris audiendi ſunt, quia nemo magis compertas habere poteſt res ſuæ Religionis, præſertim ad factû ſpectantes, quàm ipſi.

D. Steinhauſer, qui in vita S. Ruperti, quam Sanct-Petrenſe Tabularium in M. S. C. legendam exhibet, expreſsè dicit, S. Rupertum Benedictinum induiſſe Ordinem, & veluti Abbatem præfuiſſe Religioſis.

Vetuſtiſſimum MS. M. quod ſapientiſſimus & æquiſſimus antiquitatum Cenſor Celſiſſimus & Reverendiſſimus S. R. I. Princeps & Epiſcopus Friſing. nec non Illuſtriſs. & Reverendiſs. Abbas Gottwicenſis, poſtquàm transmiſſum remiſerunt, miris extollebant laudibûs, quod demum Religioſiſſimus & Eruditiſſimus Vir Cl. D. P. Carolus Meichel-

chelböck (de quo Cl. D. P. Bernardus Pezius in diſſertatione prævia ad Tom. I. Anecdot. apertè pronuntiat, eſſe virum, quo eruditiorem, ac antiquitatum præcipuè Bavaricarum ſcien. tiorem non invenerit) hic in diſſert. 2. prævia ad Hiſt. Friſing. fol II. *aurô, & topaziô pretioſius* eſſe exiſtimat, hoc, inquam, pretioſiſſimū M.S. expreſſis verbis S. Rupertum Epiſcopum & Abbatem nominat, tunc verò temporis nullos alios, quàm Monachos ſub nomine, ac officio Abbatum Monachis præeſſe moris erat: id, quod tibi per decurſum hujus ſcriptionis quàm frequentiſſimè inculcatum volui.

*Quare in Antiquiſſima Manuſcripta Tabula ad ſepulchrum S. Ruperti ſuſpenſa, quam ad manum habeo,* ait Reverendiſſimus & Clariſs. & in Antiquitatibus maximè peritus DD. Amandus Abbas in Diſquiſitionibus S. Vitalis f. 27. *hæc legebantur formalia, quamvìs in Germanico idiomate: cum conſilio & auxilio Theodonis Ducis S. Rupertus exſtruxit, & fundavit hanc Eccleſiam, & Monaſterium, & in honorē S. Petri conſecravit, atque Ordinem S. Benedicti implantavit, quem NB. ipſemet cū ſuis Fratribus tanquā verus & dignus Prælatus & Abbas in omni virtute & ſanctitate obſervavit.*

Unde in Tabulà illa, quæ annô 1462. in Proceſſu Canonizationis S. Vitalis *ceu Antiquiſſima, & fide digniſſima* producta fuit, S. Rupertus, & S. Vitalis cum pluribus aliis Monachis in habitu Monachali Benedictino depicti ſunt.

Longè prioribûs ergo, & jam antiquiſſimis temporibûs anteà, quàm Proceſſus Canonizationis S. Vitalis cum debitis & in Jure requiſitis Solennitatibus annô 1462. inſtitutus fuit, hæc firmiſſima & inconvulſa erat perſuaſio, S. Rupertum, & S. Vitalem cum aliis Benedictini Ordinis fuiſſe: niſi enim hæc Sententia jam tum in Salisburgenſium mentibus radices egiſſet, nunquam certè jam ab Antiquiſſimis temporibus ante præfatum Proceſſum ſub Schemate Benedictino fuiſſent in pictura expreſſi, quemadmodùm tamen jam ab antiquiſſimis temporibus anteà, quàm ſæpè dictus Proceſſus initium ſumſperit, ita fuerant repræſentati, ut vel ideò Reverendiſſimi & Sapientiſſimi omni exceptione majores Inquiſitores in ſanctitatem S. Vitalis, quibus hoc negotium à Summa Sede commiſſum eſt, tabulam, & picturam illam, in qua S. Rupertus, & S. Vitalis in Benedictino veſtitu depicti cernebantur, jam ſub eadem Inquiſitionis tempora, ad annum

Digitized by Google

annum puta 1462. poſt prævium delectum, atque ritè examinata Antiquitatis indicia *antiquiſſimam*, atque adeò jam ab antiquiſſimis temporibus ante hunc annum 1462. depictam, & efformatam judicare, atque ita deſuper Summam Sedem informare non dubitârint.

Fuit proinde jam ante annum 1462. antiquiſſima Traditio, quam Senes à Senioribus, & hi à Seniſſimis accepêre, S. Rupertum fuiſſe Monachum, cui veritati apertis verbis refragari nullus hucusque auſus eſt, ſi te ſolum cum ignobili, & minùs perito alio ſcriptore, nempè Curtio Eremita S. Auguſtini excipiam. Reliqui, dum affirmativam ſententiam ob quemdam metum reverentialem expreſsè ſuſtinere timent, non tamen etiam contrariam opinionem exprimere audent, ſed abſtrahunt, vel tacent. Quis autem ignorat, ſi tamen Hiſtoricis accenſeri exoptet, Hiſtorias communiter receptas non eſſe impugnandas argumentis negativis? nam, ùt rectè Ariſtoteles: *Ex puris negativis nihil ſequitur.* An fortè tibi incomperta eſt Cl. Raymundi Regula, qua docet, antiquam, & quaſi per manus acceptam Traditionem non eſſe contemnendam, ſed ob antiquitatem ſuam multo honore ac *fide* dignam eſſe? Si hæc de antiqua Traditione procedant, majorem utique honorem & fidem merebitur *antiquiſſima* Traditio, qualem illam de Monachatu S. Ruperti eſſe monſtravimus. Jam rationes inſpicere placeat.

1. S. Rupertus Sancti-Monialibus in Nunberg Abbatiſſam præfecit Neptem ſuam Erentrudem, quam Baronius in Notis Martyrol. ex Trithemio inter Illuſtres Benedictini Ordines Virgines recenſet.

2. Congregationem Sanct-Petrenſium Monachorum ſuam eſſe cenſuit. Bulla Pii II. Pap. ſuper relatione de Miraculis S. Vitalis ait; *teſtari libros antiquos, & veteres Scriptores, eſſeque de hoc vocem & famam, quòd Sanctiſſimus P. Rupertus inter plures ſuæ Congregationis perfectos ſingulariter B. Vitalem ſtatuit Succeſſorem.*

3. Collectam Fratrum turbam in hæc verba præſentes allocutus eſt teſtantibûs ita Surio, Lipelloô, Vitâ Caniſianâ: *habetis ob oculos glorioſa geſta Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Monachorum, præſertim Ducis NB. & Doctoris NB. noſtri Benedicti.*

4. Sedem ſuam Epiſcopalem ex Wallerſee ad Juvavium tranſtulit, quia hunc locum, utpotè inter montana à populari tu-

tumultu remotum, & jam anteà à Monachis inhabitatum judicavit præ aliis magis idoneum eſſe ad hoc, ut in Epiſcopali ſua Sede Epiſcopum & ſimul Monachum cum aliis agere poſſet. Hinc Epiſcopus ſanctiſſimus ſacrũ quoque illud, nec niſi attonitîs oculîs ſpectandum Petrenſe S. Maximi Presbyteri ſpelæum unà cum Fratribus ſuis inhabitavit inſtar aſcetæ ſibi rigidiſſimi.

5. Monachico-Benedictinum Ordinẽ in Monaſterio ſuo & Sede Cathedrali collocavit, juxta illud Bullæ Eugenianæ: *Interventu V. Fratris Noſtri Eberhardi Salzeburgenſis Archi-Epiſcopi veſtris rationabilibus poſtulationibus duximus annuendum. Statuentes, ut Regularis Ordo, qui ſecundùm DEUM, & B. Benedicti Regulam per S. Rudpertum quondam veſtrum NB. Abbatem & Epiſcopum Saltzeburgenſem in eodem loco introductus & inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuîs ibidem temporibûs inviolabiliter obſervetur.*

6. Succeſſores ſibi ex eodem Monaſterio delegit, quemadmodùm B. Conradus I. in Litteris, & Inſtrumentis publicis loquitur. *Notum igitur eſſe volumus Eccleſiæ noſtræ Filiis præſentibus, & futuris: cùm S. Rupertus ſanctæ memoriæ Prædeceſſor noſter civitatem Juvavenſem denuò erigens, Sedem ſuam Epiſcopalem NB. in Monaſterio S. Petri collocâſſet, ac Fratribus, quos ibidem ſub Regula S. Benedicti NB. ſibi perpetuos Succeſſores in eadem Sede Epiſcopali inſtituerat.*

7. Benedictini Sanct-Petrenſes Monachi tot Provincias, & populos lumine fidei illuſtrârunt, Eccleſiam Salisburg. Cathedralem inſtituerunt, & redditibûs ampliârunt, ſicuti B. Conradus I. iterum teſtatur in ſuis Litteris dicens: *Ingratiſſimum, & indecens eſſet illis honorem & prærogativam non tribuere, de quorum* (Benedictinorum ad S. Petrum Monachorum) *laboribus tot Provinciæ, & populi fidei incrementa ſuſceperunt, & NB. Eccleſia noſtra inſtituta fuit & ampliata.*

8. Rectè hinc Cl. D. Hanſizius T. 2. Germ. Sac. fol. 1002. ſubinfert: *quidquid donationum fiebat, ad Monaſterium referre, Monaſterio velut capiti & fundamento totam Eccleſiæ, quam moliebatur, fabricam inſtruere voluit: videatur Libellus uterque donationum: in his iterum iterúmque, atque itentidem, quæ à piis donantur, tradi dicuntur NB. ad Monaſterium Salzburch, id quod tantundem tunc erat, atque ad Eccleſiam, ſeu Sedem*

*dem Epiſcopalem: Neque pro Clericis aliis ulla peculiares leguntur facta dotes, neque cætus ipſorum ullus erat, aut communitas ante S. Virgilium, qui primus eorum aliquos pro Officiis Divinis ad novam ædem S. Ruperti collegit.*

9. Per Monachos omnia tractabat, & curam Plebeſanam apud ipſos eſſe decrevit juxta illa B. Conradi I. verba: *Cùm S. Rupertus Fratribus ſub Regula S. Benedicti in eadem Sede Epiſcopali, & Curam Parochialem comiſiſſet, & tradidiſſet, quam usque ad præſens fideliter exercuerunt.* Usque dum per B. Conradum I. in Canonicos Rupertinos transtulerint, *reſervatîs tamen ſibi Decimîs* (uti Literæ B. Conradi affirmant) *& liberâ ſepulturâ cum omnibus attinentiis ſuis, ac aliis* nonnul*lîs prærogativîs.*

Ut hinc Jus ſepulturæ, quod hodiedum S. Petro inconvulſum ſtare ſcimus, illud ipſum ſit Jus, quod Sanct-Petrenſes Monachi ex præhabito, & per B. Conradum I. in Rupertinos translato Jure Parochiali ſibi in perpetuum reſervatum voluêre, tanquam ſub conditione, ſine qua non ceſſiſſent.

10. Magiſtratum Canonicum, & Adminiſtrationem Sedis penes Monachos eſſe volebat: *diſertè námque, indubitaté que ſtatuo,* ait vir Cl. D. Hanſizius Tom. 2. Germ. Sacr. fol 1007. *penes ipſos utpotè Cathedrales Jus Electionis omninò fuiſſe, æquè, ùt apud Canonicos alios in ipſorum Eccleſiis. Quidnî enim? cùm ipſi eſſent Principes, & Primores Cleri, Sedíſque Cathedralis membra Primaria.*

Placeat audire formalia ipſius B. Conradi I. in ſuis Litteris hujus tenoris: *ſtatuimus, & ordinamus inprimìs, ut ſingulis Electionibus pro Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus per Canonicos noſtros juxta Apoſtolicas Ordinationes faciendis Abbati ejusdem Monaſterii pro tempore exiſtenti locò Fratrum ſuorum ( NB. ad quos NB. priùs NB. ſemper NB. Electio ejusmodi ſpectabat ) intereſſe competat perpetuò, & quem ipſe unà cum Canonicis præfatis ex ipſis, vel aliàs elegerint, Archi-Epiſcopus cenſeatur &c.*

11. In quorum omnium gratam memoriam, & honorem B. Conradus I. proteſtatur: *decernimus etiam, ut in NB. Conventibus, & NB. Proceſſionibus præfata civitatis noſtræ iidem Fratres* ( ad S. Petrum ) *perpetuò gaudeant & fruantur locô poſtremô, & digniorî: Ingratiſſimum enim, & indecens eſſet,*

*illis*

Digitized by Google

*illis honorem, & prærogativam non tribuere, de quorum laboribus tot Provinciæ, & populi fidei incrementa ſuſceperunt, & NB. Eccleſia noſtra inſtituta fuit, & redditibûs ampliata.*

Et hæc deinceps Præcedentia ab aliis Archi-Epiſcopis, & Canonicis, nec non Eugenio III. per Bullas, Litteras, & Inſtrumenta publica, prout in authentico Abbatum Catalogo videre eſt, confirmata, ſemper ad executionem deducta perſeveravit, ita, ut res in Hiſtoria ſit certiſſima, indubitatiſſima, & planè clariſſima, niſi ultrò quis cæcutire velit. Mutato verò Metropolitici Collegii ſtatu Regulari in Sæcularem, Canonici putabant, Privilegiis ſe nunc gaudere, quibûs alibi locorum Canonici Metropolitani, ideóque & præceſſu ante omnes Eccleſiæ Clericos, & Religioſos. Ex adverſo Petrenſes antiquo Juri, & poſſeſſioni inſiſtebant, rati, Succeſſores uti debere, & ſtare Jure Anteceſſorum. Lis primò ad Archi-Epiſcopum, dein Romam delata. Cardinalis Mathæus non obſcurè ſuis Canonicis favebat, aliàs cænobio S. Petri minùs addictus. Annô 1520. Romæ in Curia duæ Sententiæ conformes pro Monaſterio latæ. Tertiam impedire conatus Mathæus, Simoni Abbati mandavit, ut à lite ſuos deſiſtere juberet.

Cauſam Romæ egit Chilianus Prior, vir doctus, & hiſce, etſi gravibus negotiis par. Is, quòd res non tam Abbatē, quàm Conventum concerneret, à Religioſis clam monitus in actione perſeveravit, donec tertiâ Sententiâ annô ſequentî obtentâ lis penitus terminaretur. Hæc Mezgerus, quem Banſage Tom. 3. p. 2. fol. 271. *Illuſtrem virum, & Benedictini Ordinis ornamentum appellat.*

Et hæc tertia Sententia non ſolùm Petrenſibus præ Capitulo Metropolitico Præcedentiam ad illa usque tempora exercitam adjudicavit, verùm inſuper renovavit pœnas, quas in caſu contraventionis contra ſuos Canonicos B. Conradus I. tulit ſequentem in modum.

*Ne autem contra hæc noſtra Inſtituta, & ordinationes in ſpecie dicti noſtri Canonici unquam per ſe, vel alios attentare præſumerent, volumus eos pro futuris temporibus obligare ſub pœna privationis, & reſtitutionis omnium bonorum, quæ ipſi NB. Fratres unà cum NB. Epiſcopatu, ac NB. Plebeſano Jure per nos in NB. eos ſingulari NB. gratia NB. transtulerunt, dictáque omnia in ſuum anti-*



Digitized by Google

*antiquum locum, Eccleſiam S. Petri redire debeant.*

Præter hanc pœnarum renovationem eadem Curia Romana Canonicis Metropoliticis perpetuum indixit ſilentium, aliámque minabatur pœnam, eámque graviſſimam, ſi in hujus Præcedentiæ Juris pacifica poſſeſſione, & exercitio Petrenſes turbârint, vel Sanct-Petrenſes hoc ipſis Jus aliquando concederent, ut vel ideò in transactione ſub Guidobaldo Archi-Epiſcopo, & Amando Abbate factâ pro ejusmodi pœnæ remiſſione ſive abſolutione opus fuerit Summam Sedem implorare, ſicut idem Archi-Epicopus in transactionis Inſtrumento apertè fatetur hîs verbîs: *Nos itáque non ſolùm ſponte & libenter nominatum contractum, ceſſionem, & renuntiationem, & reſpectivè annuam recognitionem cum omnibus ſuis conditionibus, reſervationibus, clauſulis, & articulis authoritate noſtra ordinaria, & omni meliori modo, forma, & Jure, quo validiùs, & efficaciùs id fieri poteſt, approbamus, ratificamus, & confirmamus, ſed etiam quatenùs NB. opus erit beneplacitum S. Sedis Apoſtolicæ pro majori firmitate hujus contractûs, ceſſionis, renuntiationis, & reſpectivè annuæ recognitionis, ſeu præſtationis procurabimus.*

Tandem annô milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô ſeptimô hoc antiquiſſimum Jus Præcedentiæ Benedictini ad S. Petrum ad interpoſitionem Archi-Epiſcopi Guidobaldi Metropolitico ceſſerunt Capitulo, reſervatîs tamen ſibi iterum ſplendidiſſimîs quibûsdam Prærogativîs, ac Juribûs, & quidem

Primò: *Reſervatur Domino Abbati ante Dominum Decanum Cathedralem in omnibus Proceſſionibus, locis, & Conventibus in vel extra Eccleſiam Præcedentia eo modo, quo priùs obſervatum fuit.* Secundò: *reſervatur Abbati, & Conventui Jus, & facultas comparendi in Feſto Corporis Chriſti in Eccleſia Metropolitana cum paramentis conſuetis, id eſt, cùm ſuperpelliceo, ſeu Cotta, & Pluviali, & accipiendi locum in Choro à latere ſiniſtro, ſeu ex cornu Epiſtolæ in ſubſelliis DD. Canonicorum, ac poſteà in actuali Proceſſione incedendi immediatè ante ipſos jam dictos Canonicos poſt crucem Pontificalem.* Tertiò: *ut extra Feſtum Corporis Chriſti Conventus ſolùm comparere teneatur in morte, & conductione Fune-*

*Funeris Archi-Epiſcopalis, in Exceptionibus S. Pontificis, Legati à Latere, & Imperatoris, nec non in ſolemni ingreſſu Archi-Epiſcopali in urbem, ac in Translatione Corporis, ſeu Reliquiarum cujusdam Sancti, in quibus tamen Proceſſionibus omnia Conventui competent utì in Feſto Corporis Chriſti. Quartò: reſervatur, ut caſu quo DD. Canonici contra poſitas conditiones, ac reſervationes aliquid agerent, aut tenerent, facta renuntiatio, & ceſſio Præcedentiæ ſit nulla, & caſſata, & Jus præcedendi, ùt priùs, Conventui competat.*

*DD. quoque Canonici Inſtrumentô ad id confectô in prædictas reſervationes conſenſerunt, inſuper in perpetuam recognitionem ſæpè dicti Juris, & ceſſionis quot annis in Feſto D. Benedicti per ſuum Syndicum octo aureos in ſpecie D. Abbati, & Conventui ſolvere promiſerunt, adjunctâ demum clauſulâ, quòd, ſi quando Conventus dictæ ceſſioni contraire vellet, ipſi quoque ſuum conſenſum, & ſubſcriptionem in donationem ab Archi-Epiſcopo factam revocatam velint.* Cl. D. Mezger in Hiſt. Salisburg. fol. 837. 838.

Et hæc omnia & ſingula in hodiernum usque diem in ipſo actu exercito obſervari toti Civitati Salisburgenſi notorium ac publicum eſſe viri fide digniſſimi teſtantur, veluti videre licet apud Cl. D. Mezgerum in Hiſtoria Salisb. fol. 943. Cl. D. Hanſizium T. 2. Germ. Sac. f. 1017. 1018. 1054. & 1055.

Quódque Præcedentiam D. Abbatis ad S. Petrum ante D. Decanum Metropolitici Salisburgenſis Sedis Capituli in omnibus Proceſſionibus, locis, & Conventibus in vel extra Eccleſiam concernit, rem non tam evidentem, quàm evidentiſſimam eſſe ſcimus, etiam tum, dum jam Decanus Metropolitici Capituli honore Mitræ, reliquorúmque ornamentorum Pontificalium gaudet, atque uterque, tam Reverendiſſimus D. Abbas S. Petri, quàm Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Decanus Metropoliticus in Proceſſionibus, & Officiis Divinis, ubi cum reliquis DD. Epiſcopis Suffraganeis Celſiſſimo Archi-Epiſcopo aſſiſtunt, cum Mitra, nec non Pectorali comparent, miniſtrante, ſeu apponente, & deponente ipſis Mitram Clericô Alumnô.

Et jure meritiſſimo quidem: ſiquidem in Bulla Pontificia,

quâ Metropolitico D. Decano Mitræ, Baculi, ac cæterorum Pontificalium ornamentorum uſus largè conceſſus eſt, non tamen aliter idem uſus honoris conceſſus eſt, niſi cum reſervatione Juris Præcedentiæ Abbati ad S. Petrum, ejúsque Succeſſoribus debiti, ita námque ſonant formalia ejusdem Bullæ. *Salvâ Præcedentiâ pro tempore exiſtentis dilecti etiam Filii Abbatis Monaſterii S. Petri Civitatis Salisburgenſis S. Benedicti, vel alterius Ordinis, & ejus Succeſſorum ſupra Decanum Metropolitanæ Eccleſiæ, ejúsque Succeſſores eo NB. prorſus modo, quo hactenus fuit obſervatum.* Et hæc formalia trinâ omninò vice in eadem Bulla repetita videmus apud Cl. D. Hanſizium T. 2. Germ. Sacr. fol. 907.

12. *Ex quibus jam arguas, licet, de S. Ruperto, qui ſi Monachus ipſe non fuiſſet, haud equidem apparet*, exclamat Cl. D. Hanſizius Tom. 2. Germ. Sac. fol. 1002. *quòd adeò Monaſticum adamaverit Inſtitutum, ut ad Monachos NB. omnia deferret, ac non potiùs alios Clericos ad NB. rei Summam, & NB. curam principem adſciſceret; & alioquin tunc moribûs, & uſu receptum fuit*, ait idem Author Cl. L. cit. fol. 1001. *ut ex illo Sacro Ordine* ( Benedictino ) *veluti è ſchola præſtantiſſima virtutis, & Eccleſiaſtica diſciplinæ pro Evangelii prædicatione, & Eccleſiarum Regimine permulti usquequaque peterentur. Non eſt ergo, ut Traditioni derogetur antiqua, S. etiam Rupertum Ordinis fuiſſe Benedictini. Ita ſentio, idque, ùt meus fert candor, non gratia cujusdam do, ſed ſtudio libero veritatis.*

13. Accedit antiquiſſima Traditio, quæ temporibûs Divo Ruperto proximioribûs, ubi magis exacta adhuc de Sanctiſſimo Salisburgenſi Proto-Præſule vigebat notitia, ùt plurimùm invaluit. Hinc

14. In Tabula illa, quæ in apertione ſepulchri S. Ruperti inventa eſt, quámque antiquitatum peritiſſimus DD. Amandus Abbas, & ante ipſum Reverendiſſimus DD. Albertus Abbas, nec non alius Celſiſſimi in hoc negotio Commiſſarius, cum Notario Publico antiquiſſimam eſſe judicârunt, talia ex Germanico idiomate in Latinum translata verba legimus.

*Conſiliô & auxiliô Theodonis Ducis S. Rupertus - Ordinem S. Benedicti implantavit, quem ipſe-*

Digitized by Google

*ipſemet cum ſuis Fratribus tanqam NB. verus, & dignus Prælatus, & Abbas in omni virtute & ſanctitate obſervavit.* Disquiſitiones S. Vitalis. pag. 27.

15. S. Rupertus ſub Titulo & munere Abbatis Cathedralibus Benedictinis ad S. Petrum Monachis præerat, quemadmodùm in præcedentibus ad evidentiam demonſtravimus per Bullas Pontificias, per Litteras, & Inſtrumenta publica Archi. Epiſcoporum, Canonicorúmque Metropolitici Capituli, per indubitatam fidem vetuſtiſſimi M. S. M. quod Celſiſs. & Reverendiſs. S. R. I. Princeps Friſingenſis p. m. cum Reverendiſs. & Illuſtriſs. DD. Godefrido Abbate Gottvvicenſi in Epiſtolis ad Sanct-Petrenſem Reverendiſſimum DD. Abbatem datis, maximis, uti vidimus, extollunt laudibûs. Per authoritatem gravium Scriptorum. Et hoc quidem ſub tempora Gregorii M. quem Salisburgenſes omnes, nullo excepto, Divo Ruperto contemporaneum faciunt.

S. porrò Gregorius M. nullos alios Abbates Monachis præeſſe paſſus eſt, quàm Monachos: ergo hoc ipſo, quòd S. Rupertus jam ſub Pontificatu B. Gregorii M. fuerit Abbas Cathedralis Monaſterii ad S. Petrum intrà Salisburgum, luculenter ſequitur, Eundem fuiſſe Monachum, quoniam tum temporis nequidem in Gallia, minùs in Germania alii fuerant Abbates, quàm Regulares, & Monachi. Repeto hoc aſſertum in Hiſtoria Eccleſiaſtica certiſſimum, & jam antè evidenter deductum: timeo enim, ne, cùm te ſeneſcere inaudiam, labilis fortè ſis memoriæ.

S. Rupertus proinde Cathedralibus ad S. Petrum Benedictinis Monachis tempore S. Gregorii M. ſub munere Abbatis præerat, & vel ideò ipſe quoque Monachus fuit, neque alius, quàm Benedictinus. Incongruum quippe foret, ſi caput eſſet difforme membris, & aliàs inconcuſſa eſt veritas, quia S. Rupertus omnibus Pontificiis S. Gregorii M. Decretis ſe cum debita veneratione ſubmiſit, quæ inter non ultimum erat, ut *ubicunque Latinæ Litteræ legerentur, eam* (Benedictinam Regulam) *obſervarent, quicunque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent.*

Unum liceat addere. Vel primo tempore nullus fuit Abbas Monaſterii S. Petri? vel fuit

Digitized by Google

fuit S. Rupertus? vel alius? Primum credibile non eſt, dum potiùs præſumitur Monaſterium fuiſſe inſtitutum juxta Normam Regulæ, quæ cap. 2. & paſſim Abbatem præeſſe vult: ſi ſecundum concedatur, tam ex ex dictis ſequitur, quòd hoc ipſo S. Rupertus fuerit Benedictinus, quàm & exinde firmatur, quia & intentio S. P. Benedicti fuit, ut Abbates quoque idem Inſtitutum tenerent, ùt ex tota S. Regula apparet; unde cit. cap. 2. jubet, *ut Abbas doctrinam factis oſtendat.* Tertium non eſt veroſimile, cùm de nullo alio quidquam ſit proditum. S. Ruperto, qui rexit 40. annîs, ſucceſſit S. Vitalis, qui præfuit annîs 23. fuit hic Epiſcopus & Abbas, & per conſequens in Epiſcopatu & Abbatia credendus eſt illi ſucceſſiſſe, dum alterius anterioris Abbatis non fit mentio.

16. Quæ omnia ſimul ſumpta Viris cordatis, quorum ingenio nullam ſponte quæſitam nebulam offundit æmulatio, ſive adulatio, aut alicujus rei veritatem obſcurare ſolitus reſpectus de Benedictino S. Ruperti Monachatu certam, evidentem, & indubitatam ingenerabunt notitiam, ſicuti talem ingenerârunt Cl. D. Hanſizio, de quo dubium hæret, an magis ejusdem religioſiſſimum candorem morum, ſive exquiſitam Hiſtoriographi eruditionem ac doctrinam admiremur, poſtquàm enim tantus Vir Controverſiam, de qua nobis ſermo eſt, accuratiori ſtudio & examine revolvit, & revolvendo perpendit, omnis in contrarium evanuit ſcrupulus, jámque indubius in Benedictinorum conceſſit ſententiam, non ad aucupandam alicujus gratiam, ſed *ob liberum veritatis ſtudium*, quemadmodùm formalia ipſius verba teſtantur, quæ hic iterum repetere juvat, atque ita ſonant. *Non eſt, ut Traditioni derogetur antiquæ, Sanctum etiam Rupertum Ordinis fuiſſe Benedictini. Ita ſentio, idque, ùt meus fert candor, non NB. gratiæ cujusdam do, ſed ſtudio NB. libero veritatis.* T. 2. Germ. S. fol. 1001. rurſus ait: *ita mehercle detur locus ingenua veritati: neque NB. pudere debet poſteros, Eccleſiarum Natales ad NB. Monaſteria veluti Cunas referre: cùm totum hoc nobiliſſimum Eccleſiæ Corpus originem poſtremò ſuam non aliunde repetat, quàm à plebejo Piſcatorum Collegio.* fol. 1002. l. cit.

17. Certè non puduit Celſiſſimum

ſiſſimum & Reverendiſſimum DD. Archi-Epiſcopum Paridem ex Illuſtr. Com. de Lodron hanc ipſam veritatem publico quodam monumento palàm facere: quapropter in Eccleſiæ ſuæ Metropolitanæ Oratoriis, etſi non deeſſent, qui parùm attentis gratitudinis, & ſinceræ charitatis legibûs, ſe ſe, ùt quidem poterant, modeſtè opponerent, nihilominùs tam D. Rupertum, quàm adſtantes miniſtros ſub Schemate Benedictino pingi juſſit & fecit. Ita nempè magnô, gratóque animô agnoſcunt Magni Principes, inquit eruditiſſimus quidam author, quod aulicæ aſſentatiunculæ ad ſenſim oblitteranda cujusvis obligationis veſtigia aliter credi cuperent.

Sed ſatis: veniet enim tempus, ubi ex S. Benedictino Ordine contra te tales inſurgent viri, quales Religio, eruditio, & doctrina per orbem de Republica litteraria optimè meritos, & præclarum in modum famoſiſſimos jam dudum effecerat. Neque enim idem Sacratiſſimus Ordo tantis viris deſtitutus eſt, ſed ſuperabundare dignoſcitur: Hi ſibi Illuſtriſſimum adeòBenedictinæ ſuæFamiliæ Decus, quale in S. Ruperto veneramur, nequaquam detrahi patientur, ſed luce meridiana clariùs demonſtrabunt, fundamentum, cui hæc tua perperàm præconcepta opinio innititur, nullius eſſe ſoliditatis, ita quidem, ut jam pridem Dionyſius Areopagita de cœleſti Hierarchia taliter argumentantes imperitos vocare non dubitârit.

Quæ tamen abſint, ut in te retorqueam, utpotè, quem ſcio à ſiniſtro quodam reſpectu, eſto parùm æquo, vel minùs in conſiderationem ducta veritatis libertate talia ſcripſiſſe, quæ inpræſentiarum modis, quibûs potui, refellere grave, ſive incommodum eſſe non exiſtimabam: fidem habeas, quòd cauſæ, non item Perſonæ adverſarium egerim; quamvis igitur te in hoc non laudem, in omnibus tamen aliis te laudatum velim.

Supereſt, ut ſi quando (contra meam voluntatem) me juſtô ferventiorem in hac ſcriptione expertus es, mihi pro tua indole, quæ tota quanta ex natura ſua ad manſuetum amicitiæ affectum propendet, ſapienter condones. Nam, ut verum fatêar, quoniam occupari volui in componenda quadam controverſia Benedictinis mota, hinc

imitari quoque propoſui Benedictinum Mabillonium, qui ſemper certavit ſine vulnere, ut tandem moriens calamum ſuum ad pedes Crucifixi jure ſuſpendere potuerit cum ſymbolo: *Miti & humili corde.* Quam ob rem ſolenniter conteſtor, omnia & ſingula, quæ pro ſingulari Ordinis Benedictini gloriâ ſunt ſcripta, non alium ſpectare finem, quàm illum *ipſum*, quem Sanctiſſimus Benedictinorum Legislator ſuis *jugiter* præfixum voluit
c. 57. Reg.

# Ut in omnibus glorificetur DEUS,

Sive, quod idem eſt dicere: ut in omnibus
Laudetur JESUS Chriſtus.

A M E N.

Digitized by Google

uæ pro ſu-
dictini glo-
alium be-
um ipſum,
nedictino-
s jugi-
ut

K. Bibl. St. Peter, Salzburg 2006

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google